

Handwritten scribble

Large handwritten scribble

A

J. q. 359.



INTERPELLATIONIS
NECESSARIÆ

AD

Meditationes

JACOBI TRIGLANDII
DOCTORIS & PROFESSORIS
THEOL. LEYDENSIS

In

Opiniones Variorum

DE

VOLUNTATE DEI,
GRATIA VNIVERSALI
ET SCIENTIA MEDIA,
DISSERTATIO SECUNDA

QUAM

Gratia DEI prosperante

PRÆSIDE

JOH. GEORGIO DORSCHEO

SS. Th. D. & h. t. Rectore

in Illustri Argentoratensium Universitate
solenniter tuebitur

Mense Maio d.

REMIGIUS HERMANNUS ZINCK


Mœno-Francofurtanus.

—•••—

ARGENTORATI:

Typis JOHANNIS-PHILIPPI MÜLBI,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI,

M. DC. XLV.





DE VOLVNTATE DEI,
GRATIA ET SC. MED.

SECTIONIS PRIMÆ

CAPUT II.

De voluntatis Dei distinctione in decernentem, quæ & operans dicitur & præcipientē, quam & exigentem vocant.



Is de voluntate Dei efficaci propositis meditationibus Triglandi progredieris ad discrimen, quod meditatus es inter voluntatem Dei decernentem, quam hucusque operantem, omnipotentem, efficacem, universalem appellasti, & inter voluntatem Dei præcipientem sive exigentem, quam non semper cum operatione, omnipotentia, & efficacia coniunctam esse statuis. Proponam tuam meditationem integram, ne mutilam illam propositam esse conqueraris. Sic igitur loqueris. *Inter ceteras autē creaturas, Deus duas fecit ratione instructas, Angelos sc. & homines. Hæ igitur, prout subsunt voluntati divinæ, dupliciter debent considerari, vel ut creaturæ simpliciter, vel ut creaturæ ratione præditæ. Priori modo si considerentur, voluntati divinæ iam explicatæ, cum reliquis creaturis, subiectæ sunt: Posteriori modo etiam voluntati isti subiectæ esse debent, uti quævis alia creatura, quacumq; sit: Nam ratio illarum nec subsistere potest, nec vim suam exerere, simul cum illis, quæ ei coniunctæ sunt, nisi ex conservatione & motione divina. Attamen quæ ratione instructæ sunt, reliquis creaturis præpollent ut quæ Deum cognoscere possunt, & ex cognitione diligere, actionesq; suas ex ratione & prævia deliberatione certo modo instituire. Quare peculiaris hic debet*

§. I.
Sententia Triglandij de voluntate decernente & præcipiente ex Medit. p. 6. & seqq. proponitur.



agnosci voluntas Dei, creaturis illis manifestata atque præscripta, cui se submittere, & secundum quam actiones suas instituere debeant. Hæc est voluntas, qua Deus ab istis creaturis agnosci vult is qui est, sc. summum bonum, omnis boni origo, & ut talis ab illis diligatur: quæque vult, ut illa se mutuo, tanquam unius naturæ participes, diligant. Reliquæ creaturæ à Deo pendent, & ab illo diriguntur, sine sensu suo & cognitione: hæc vero sua ratione cognoscere possunt & debent, se à Deo pendere & dirigi. Quapropter hæc sub ista directione, ad Deum autorem, conservatorem & gubernatorem suum ascendere debent, ut eum ratione sua cognoscant, voluntate expetant, omniq; affectu ei adhaerant, adeoque omnia sua, tam interna, quam externa, ad nutum voluntatis eius componant. Hæc ergo est illa voluntas Dei, quæ creaturas illas peculiariter respicit, ut ratione instructas, qua Deus quidpiam ab illis agi vult vel omitti. Vnde non immerito voluntas exigens, præcipiens appellatur. Estq; norma omnium actionum, quæ à creaturis illis, angelis sc. & hominibus, prodire possent, à qua vel bona, vel mala censenda sunt: bona, siquidem ad normam illam componuntur: mala, si ab ea deflectunt. Vnde facile est colligere discrimen inter illam priorem Dei voluntatem, quam decernentem, operantem, diximus: & hanc, quam præipientem, exigentem, appellamus. Illa n. voluntas universalis est, comprehendens & dirigens omnes in universum creaturas, omnesq; earum actiones: hæc particularis, obnoxias sibi reddens solis creaturas rationales & quidem quæ tales. Illa, ut effecta sua producat, adhibet Dei potentiam, quare & efficaciter agit ac movet, nec sine suo unquam frustratur: Hæc potentiam Dei non adhibet, sed exigit tantum ac præcipit; vultq; à creatura potentiam sibi à Deo inditam adhiberi, ut effectum postulatum ipsa producat, quare finem suum non semper assequitur. Illa planè est libera. Deo n. planè liberum fuit, creaturas producere vel non producere, conservare vel non conservare, & pro sapientia sua dirigere, quomodo & quocumque vellet. Nam quicquid Deus de creaturis decrevit & statuit, id liberrimè decrevit juxta beneplacitum voluntatis suæ. Hæc a. voluntas necessitatem habet, non quidem illam absolutam, qua Deus seipsum, ut ens necessarium & necessariò bonum, necessariò diligit, sed hypotheticam, qua ex supposito productionis creaturarum illarum, & rationis qua illas instruxit, necessariò vult & postulat ab illis obedientiam illam sive dilectionem. Nam Deus non potest non velle sui dilectionem, ex toto corde & animo, nisi neget se esse
sum-

summum bonum. Non potest obœdientiam à creatura rationali non exigere, nisi deneget sibi summum imperium. Non potest non velle, ut se invicem diligant creatura illa, nisi neget eis eiusdem nature communionem & impressam sui imaginem. Obœdientia quoque voluntati illi præstita non potest Deo non esse grata, sicut nec potest eam non exigere. Vnde e contrario inobœdientia ei repugnans Deo non potest esse non exosa. Quapropter hinc oritur voluntas approbans & improbans: approbans obœdientiam sive actiones præcepto suo conformes; improbans verò inobœdientiam sive actiones cum præcepto & voluntate illa sua non convenientes: sive voluntas, quam vocant complacentia & displicentia. Voluntas quidem prima, & necessaria, qua Deus seipsum vult & diligit, omni ratione voluntas complacentia nominari potest: quia seipso, ut summo & infinito bono, Deus perfectissime delectatur in filio & spiritu sancto. Voluntas quoque secunda, qua Deus de rebus omnibus extra se liberrime & sapientissime decrevit, easque potentia sua effectas vult, omnino isthoc nomine digna est. Deo enim merito placent omnia opera sua. Vidit enim Deus omnia, quæ fecerat, & ecce erant valdè bona, Gen. 1, 31. Verum nulla ei respondere poterat voluntas displicentia. Nihil enim illic erat, quod Deo displiceret: cum primum ipse esset omnia infinite in seipso, deinde & esset omnia in se & in creaturis suis. Quicquid autem prætereò cogitari potest, nihil erat præter nudum & negativum non ens. Hic autem, sc. in actionibus creaturarum rationalium, cum ista voluntate Dei non convenientibus, invenire est ei quod placet Deo è diametro oppositum, ideoque omni modo ei displicens. Quare peculiari ratione hic datur voluntas complacentia & displicentia. Quia ergo Deo improbatur contrarium eius quod hac voluntate exigit & præcipit, hinc voluntati illi exigenti respondet voluntas contrarium vetans & prohibens. Nisi quis potius amet dicere, unam eandemque esse voluntatem, quæ illud præcipit, hoc probat. Hanc excipit voluntas, quæ bona vult obœdientibus, mala inobœdientibus, ex qua proinde promissiones & minæ oriuntur. Vnde non ineptè voluntas promittens & minans dici posset. Bono enim, quod promittit Deus obœdientibus, testatum vult obœdientiam sibi gratam esse: malo autem quod minatur inobœdientibus, aversari se omnem inobœdientiam. Sicut verò hac voluntas quasi oritur ex voluntate præcipiente & approbante, ex una, vetante & improbante ex altera parte, quæ necessitatem aliquam in se continet: ita & huic voluntati aliqua potest tribui necessitas, qua crea-

*turis rationalibus sibi obœdientibus, quam diu sunt & obœdiunt, necessariò velit bene esse. Dico, quamdiu sunt: quia negandum non videtur, quin Deus eas abolere & in nihilum redigere possit. Deus enim, qui ex absoluta voluntate eas creavit, & donis illis instruxit, eadem libertate permittere posset, ut in primam originem, sc. in nihil, resolverentur. Et quicquid creaturæ illæ sunt, habentve, aut præstant, id totum sunt, habent & præstant à Deo, ex virtute & conservatione divina: quare Deus, qui de suo potest facere, quod ipsi visum est, sua illa dona absque ullius injuria sibi recipere posset. Dico, dum obœdiunt: Nam per se, sua natura, deficere possunt, & obœdientiam suam deserere. Sunt enim ipsa in se sua natura mutabiles, nisi gratia Dei, immutabiliter illas conservans, accedat. Quamdiu autem tales sunt sc. obœdientes, & in bono obœdientiæ à Deo conservantur, fieri non posse videtur, ut iis male sit, sive ut Deus eas affligat, miseræve faciat, aut calamitatibus obruat. Nam ut Deus creaturam voluntati suæ præcipienti & approbanti conformem, in qua invenit imaginem suam, qua delectatur, (ut inquam) eiusmodi creaturam aversetur, & prorsus miseram reddat, non videtur cum ipsius natura, bonitate & voluntate consentire. Hæc necessitas trahit & necessitatem voluntatis improbantis ac punientis. Quia enim inobœdientia non potest Deo non esse ingrata, imò exosa, eò quod infinitam eius lædit maiestatem, fieri etiam non potest, quin peccatorem, ut peccato inquinatum, odio habeat, ac proinde pœnis peccato convenientibus punire velit. Voluntas hæc approbans & ex approbatione promittens; uti & voluntas improbans & ex improbatione comminans, respectum habet & relationem ad obœdientiam præcipiente voluntate mandatam, & inobœdientiam prohibente vetitam: unde neutra se exerit actu in obiectum, sive approbandum, & ex promissione remunerandum; sive improbandum, & ex comminatione puniendum, nisi in quo obœdientia, vel inobœdientia locum habet. Obiecta vero, quia ratione & voluntate sunt prædita, & proinde, aut secundum rationis iudicium, aut secundum affectus impetum, (cui & ipsa ratio, tum obsequitur, tum iudicium suum accommodat) vel obœdientiam præstant, vel inobœdientiam, quod ipsorum respectu contingens & mutabile est. hinc exurgit, quod promissiones & comminationes, ex voluntate illa approbante & improbante prodeuntes, conditionaliter proponantur. Bona promittuntur sub conditione obœdientiæ; mala comminatoriè denunciantur sub conditione inobœdientiæ. Voluntas Dei
in ipso*

in ipsa bona & mala fertur categoricè, illa approbando, hac improbando. Verum, quia hoc hominibus indicari debet, quorum est, ex rationis iudicio hoc illudve eligere & sequi, hinc est, quod, juxta illorum indolem, conditionaliter id iis exponatur. Hic ergo se nobis patefacit illa, qua etiam ab orthodoxis conditionata Dei voluntas dicitur; quod proinde ab hominibus, pro natura & conditione ipsorum, conditionatè concipiendum est. In voluntate Dei decernente & efficiente & efficaci, conditionata nulla volitio locum habere potest; quia Deus nec incertò quidpiam velle potest, nec à creaturis, sive à causis secundis pendere, quod tamen utrumque sic se habere deberet, siquidem illa Dei voluntas esset conditionata. Voluntas quoque exigens sive præcipiens, conditionata dici non potest. Nulla enim dari potest conditio, sub qua Deus bonum exigat, malum vetet. Hoc enim si esset, posset Deus, remota illa conditione, malum exigere, bonum vetare. Nec voluntas approbans & improbans conditionem admittit: Nam ut Deus sub nulla conditione bonum exigat, malum vetat; ita nec fingi potest ulla conditio, sub qua bonum approbet, eoque delectetur, & è contrario malum improbet, illudque aversetur. Conditio omnis hic invenitur in applicatione, qua vel bonum salutis, vel malum interitus, hominibus applicatur, prout, vel obædiunt, vel refragantur. At tamen novit Deus, quinam sint obædituri, qui non sint: idque novit ex decreto voluntatis illius, quam efficientem diximus, cui voluntas permittens respondet, qua decrevit bonum quidem efficere, sive efficere, ut ab hominibus præstetur; malum verò permittere. Ergo conditio omnis est, non in voluntate Dei, sed in manifestatione voluntatis approbantis & improbantis, quia promissiones hominibus, juxta naturam illorum & indolem, conditionatè proponuntur; unde & eas ipsi non nisi secundum conditiones illas sibi applicare possunt. In hac voluntate exigente, cui approbans & promittens quasi subserviunt, exhibet se nobis voluntas illa, quam inefficacem vocant; quatenus non fit ab hominibus, quod Deus voluntate illa ab iis fieri vult sive exigit. Voluntas ergo Dei efficax est voluntas illa decernens, operans, efficiens: voluntas verò inefficax voluntas hac exigens & præcipiens. Illa enim (ut dixi) potentiam Dei habet executricem: hac non, sed petit voluntatem hominis sibi sua adhibita potentia obsequi. Quia autem voluntas hac præcipiens & vetans, simul cum promissionibus & minis, verbo Dei planè est manifesta, hinc est, quod revelata Dei voluntas à Theologis Orthodoxis appellatur: sicut voluntas decernens & efficiens, ob rationem



ante indicatam, arcana dicitur. Quamobrem cum voluntas Dei propter revelationem à Theologis Scholasticis voluntas signi dicatur, Theologi plerique orthodoxi aut reformati voluntatem hanc revelatam voluntatem signi non ineptè appellarunt. Hac enim planè significata, indicata, manifestata est à Deo, cum voluntas decernens, efficiens, maximam partem sic occulta. Quare sumendo voluntatem signi non pro signo voluntatis divinae (ut Scholastici eam ineptè acceperunt) sed pro illa ipsa voluntate Dei, quæ præceptis & promissionibus, prohibitionibusq; & comminationibus, significata & manifestata est, nullam video rationem, quare voluntas signi minus sit dicenda voluntas Dei propriè dicta, quam voluntas decernens, cui voluntatis beneplaciti nomen dederunt. Ratio enim nulla apparet, quare voluntas illa, qua Deus justitiam & obœdientiam gratam sibi habet, eamq; exigit: injustitiam verò & inobœdientiam aversatur, eamq; rejicit & prohibet, quare (inquam) illa voluntas, non sit voluntas Dei propriè dicta. Hoc tamen discrimine, quod in illa voluntate, quam decernentem & efficientem vocamus, Deus considerandus venit ut summum ac primum ens, omnis entis creator perpetuus, in quo & per quem omnia consistunt: in hoc verò, quam præcipientem & exigentem dicimus, ut summum habens in creaturas rationales imperium, à quibus petit, ut suæ voluntati morem gerant. In illa ut qui efficaciter creaturas omnes perducit ad fines à se præstitutos: in hac verò ut qui creaturis rationalibus præscribit solummodo finem, ad quem vult illas collimare, à quo tamen sæpe aberrant. Illa creaturas omnes potenter dirigit operando, determinando, flectendo, quo vult, quin & præcepta, promissiones ac minas creaturis ratione præditis proponendo, adeoq; varia media pro sapientia sua adhibendo: Hac verò ducit creaturas rationales, hortatur & incitat, juxta earum conditionem præceptis & suasionibus. Quare illa voluntate Deus propriè & omnimodo ut Deum se gerit, & omnis entis originem ac finem ultimum, cuius actiones nullæ creaturæ exprimere queant: Hac verò ut Deum quidem se gerit, quatenus divina potestate mandat, summaq; vel bona pollicetur, vel mala minatur: attamen in executione humano agit modo, eo sc. quo homo alter alterum ad se allicere, monitisq; & suasionibus movere satagit ut sibi obœdiat. Itaque illam divino prorsus modo exequitur, à nulla creatura imitabili: hanc verò humano. Quin & juxta illam divino modo efficit, ut homines humano modo, nature sc. suæ convenienti, hanc faciant: & sic efficit divino suo agendi modo, ut homines hanc

hanc exigentem, revelatam voluntatem faciant, quod humano suo agendi modo apud illos non effecisset. hæc de ista distinctione differuisti.

Colligamus in summam, quæ tribuisti voluntati Dei decernenti sive operanti, quæ ex adverso voluntati Dei præcipienti sive exigenti assignasti. Voluntas Dei decernens sive operans, juxta te, omnes creaturas irracionales & racionales involvit & velut suprema motrix trahit ad suum propositum: est enim universalis, comprehendens & dirigens omnes in universum creaturas, omnesq; earum actiones: adhibet potentiam, ut effecta sua producat, quare & efficaciter agit ac mouet, nec sine suo unquam frustratur: plane libera est, potuitq; creaturas vel producere vel non producere, conservare, vel non conservare; potestq; pro sapientia dirigere, quomodo & quocunque vult: digna est, cui nomen voluntatis complacentiæ tribuatur, sed cui nulla poterit respondere voluntas displicentiæ: nullam conditionatam volitionem in se complectitur, propter certitudinem & independentiam: habet potentiam Dei executricem: est occulta maximam partem: in ea Deus considerandus, ut summum & primum ens, omnis entis creati autor perpetuus, in quo & per quem omnia consistunt: in illa Deus efficaciter creaturas omnes perducit ad fines à se præstitutos: illa omnes creaturas dirigit operando, determinando, flectendo quò vult, quin & præcepta, promissiones ac minas creaturis ratione præditis proponendo, adeoque varia media pro sapientia sua adhibendo: illa voluntate Deus propriè & omnimodo ut Deum sese gerit, & omnis entis originem ac finem ultimum, cuius actiones nullæ creaturæ exprimere queant: juxta eam divino modo efficit, ut homines humano modo naturæ sc. suæ convenienti voluntatem suam exigentem faciant. Ex adverso voluntas Dei exigens racionales duntaxat creaturas attingit, ceu norma omnium actionum, quæ à creaturis illis, angelis sc. & hominibus prodire possunt: non adhibet potentiam Dei, sed exigit tantum ac præcipit: vultq; à creatura potentiam sibi à Deo inditam adhiberi, ut effectum postulatum ipsa producat, quare finem suum non semper assequitur: est quodammodo necessaria, quatenus Deus ex supposito productionis creaturarum illarum & rationis qua illas instruxit,

§. 2.

*Summa
differentia
inter Dei
Voluntate
decernentem
& præcipientem
colligitur.*

struxit, necessariò vult & postulat ab illis obedientiam sive dilectionem: ex ea oritur voluntas approbans obedientiam sive actiones præceptis suis conformes, & improbans inobedientiam sive actiones cum præcepto & voluntate illa non convenientes: quæ est ipsa voluntas complacentiæ & displicentiæ: ex ea rursus pullulat voluntas promittens, quæ bona vult obœdientibus, & minans, quæ mala vult inobœdientibus: & quidem cum aliqua necessitate, qua creaturis rationalibus, sibi obœdientibus, quam diu sunt & obœdiunt, necessariò bene vult esse: & rursus inobœdientib⁹ pœnas peccato convenientes infligit: hæc ipsa voluntas approbans & ex approbatione promittens, itemq; altera improbans & ex improbatione comminans non exeritur actu in objectum, nisi in quo vel obœdientia vel inobœdientia locum habet: hinc exurgit ut promissiones & comminationes ex voluntate approbante & improbante prodeuntes conditionaliter proponantur. Conditio tamen omnis non in voluntate Dei, sed in manifestatione voluntatis approbantis & improbantis est, quia promissiones hominibus juxta naturam & indolem illorum, conditionatè proponuntur: Voluntas exigens est inefficax, non habet potentiam executricem, sed petit voluntatem hominis sibi sua adhibita potentia obsequi: est planè manifestata verbo Dei, atque ideo revelata voluntas dicenda: itemque signi. In ea considerandus Deus, ut summum habens in creaturas rationales imperium, à quibus petit, ut suæ voluntati morem gerant. In ea creaturis rationalibus Deus præscribit solummodò finem, ad quem vult illas collimare, à quo tamen sæpe aberrant. Per eam ducit creaturas rationales, hortatur & incitat juxta earum conditionem præceptis & suasionibus. In ea ut Deum quidem se gerit, quatenus divina potestate mandat, summaq; vel bona pollicetur, vel mala minatur, attamen in executione humano agit modo, eo sc. quo homo alter alterum ad se allicere, monitisque & suasionibus movere satagit, ut sibi obœdiat.

§. I.

Nunc videamus, quomodò hæc discriminatio constet. Ut id possimus, notamus I. quòd S. Paulus Deum vocat Eph. I, II. τὰ πάντα ἐνεργῆντα κατὰ τὸ βούλην τοῦ θεοῦ, omnia operantem secundum consilium voluntatis suæ. Ponit igitur tria in Deo, quæ distin-

distinctè nobis concipienda. Principium efficiens est τὸ θέλημα θεοῦ, *voluntas Dei*. Nimirum voluntas Dei est omnium actionum divinarum causa. Deinde norma est ἡ βουλὴ τοῦ θεοῦ. Quæ in mysterio redemptionis nostræ & gubernationis generis humani ad sempiternam beatitudinem vocatur πρόθεσις, *propositum*. Hinc est πρόθεσις τοῦ πάντων ἐνεργῆσαι κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ θελήματος, *Propositum operantis omnia secundum consilium voluntatis suæ. v. II.* Vocatur ἰδία πρόθεσις καὶ χάρις δοθεῖσα ἡμῖν ἐν χριστῷ πρὸ χρόνων αἰώνων, *Proprium propositum & gratia data nobis in Christo ante tempora secularia. 2. Tim. I, 9.* Vocatur & μυστήριον τοῦ θελήματος θεοῦ, *mysterium voluntatis Dei*, quo exponitur adeoque ab æterno comprehensa est εὐδοκία θεοῦ, ἢ ὡς ἐθέλει ἐν χριστῷ, *beneplacitum quod proposuit in Christo. v. 9.* Ad quam πρόθεσιν sequitur κλήσις vocatio, unde κατὰ πρόθεσιν κλήσις Rom. 8, 28. *secundum propositum vocati.* Quam πρόθεσιν sequitur πρόγνωσις præscientia, non illa generalis, sed ea, qua Deus præcivit, qui juxta πρόθεσιν κλήσις extituri & cum effectu fidei perseverantis vocandi sint in tempore, quos proinde ab æterno πρόβεισι prædestinavit. In universum autem βουλὴ consilium est norma divinarum actionum. Consilium dicimus, non quod ex investigatione ambiguum inventum est eventuum, & media colligit ad finem perducentia omnibus bene consideratis optima, idq; intellectus discursu atque agitatione; quale in Deo non admittit ipsius summa perfectio: sed ideam ordinemque, quem actionibus in tempore edendis præfinivit summa sapientia ab æternitate. Potest etiam vocari propositum de universa gubernatione Dei, quo ab omni æternitate prævisis omnibus possibilibus determinavit certis decretis certam rerum seriem, in qua decurreret totius mundi duratio, in quo proposito divina imprimis bonitas & inexhaustæ planè divitiæ cum potentia æterna & infinita sapientia, suaviter omnia disponente, patefierent. Equidem verbum προΐδμεναι & πρόθεσις nomen, de Deo usurpatum, extra materiam de generis humani salvatione & beatificæ sapientiæ communicatione vix, illi adscribetur in N. Testamento. Nam ad Rom. 8, 28. *vocati secundum propositum & diligentes Deum coniunguntur*, estque propositum Dei illud æternum decretum, de quo copiosè in cap. 8. antecedentibus dis-

Norma ve-
luntatis
Dei in a-
ctionibus
ab ipso Deo
definita,
propositum
Dei.

K

seruit,



seruit, ex quo à damnatione liberatio, insertio & unio cum Jesu Christo, lex spiritus vitæ, quæ est in Christo Jesu ad liberationem à lege peccati & mortis, ex quo missio filii Dei in similitudine carnis peccati, & peccati κατὰ κείνους ἐν τῇ σαρκί, v. 1. 2. 3. ex quo gratiosa inhabitatio Jesu Christi in nobis cum Spiritu suo, v. 9. 10. ex quo vivificatio mortalium nostrorum corporum per inhabitantem in nobis Spiritum Jesu, v. 11. ex quo nostra admirabilis ἀγωγή, v. 14. ὑπόθεσις v. 15. μαρτυρία v. 16. κληρονομία, δόξα v. 17. 18. 19. ἐλπίς v. 21. ex quo Συγγένησις πνευματική in omnibus imbecillitatibus nostris & ὑπερένδοξος v. 26. 27. ex quo προορισμός, κλήσις, διαγωγή v. 29. 30. & seq.

§. 2.

Locus Rom.
9, 11. exprimitur.

Sic ad Rom. 9, 11. ἡ κατὰ ἐκλογὴν πρόθεσις respicit ad illas speciales promissiones, quæ cum jure primogenituræ Esauo debentur, summo divino jure Jacobo & eius posteritati alligatæ sunt, de quibus supra v. 4. 8. 9. ubi ἐκλογὴ non est norma προθέσεως. Etenim Eph. 1, 9. 10. mysterium voluntatis divinæ secundum beneplacitum ejus in Christo nobis propositum, manifestatum dicitur ad dispensationem in plenitudine temporum factam, tendentem ad recollectionem in Christo capite omnium sive in cælis sive in terris. Et v. 11. adnotatur, quod & in Christo sortis sanctorum in luce participes facti fuerimus & prædestinati sive electi juxta propositum ejus, qui operatur omnia in omnibus. Itaque propositum divinum de communicandis salutaribus mysteriis, de collectione ad Christum ceu caput, de distribuenda sorte lucis sempiternæ hætenus præcedit, & ad propositum hoc respicit προγνωσις, sive intuitio generis humani, ejusque juxta illud attenditur sive conformitas, sive difformitas. Imò ad propositum hoc respicit ἐκλογὴ. Quia enim ἐκλογὴ discernit inter homines, oportet, si bene ordinatam statuere velimus, ut sit ad certam aliquam mensuram facta. Ea vel est in operibus hominum & qualitatibus, ex quibus fluunt opera, vel est in proposito & eo, quod vi rerum proposito applicatarum in homine παθητικῶς sese habente oritur, hoc est in immediato propositi effectui, ab æterno præscito. Prius negant Paulini canones. E. posterius eligendum est. Est igitur electio secundum propositum. Quomodo igitur vocatur ab Apo-

Apostolo ἢ κατὰ ἐκλογὴν πρόθεσις? Beza in annot. maior. h. l. ver-
 tit: *Propositum Dei, quod est secundum electionem ipsius. & addit: id
 est, decretum Dei, quod proficiscitur ex ipsius mera voluntate, qua illi vi-
 sum est, uno praterito alterum assumere.* Non videtur Beza electio-
 nem propositi mensuram constituere, aut velle, quod proposi-
 tum Dei ad electionem ceu regulam respexerit, quia dicit, decre-
 tum Dei, quod procul dubio electionis decretum est, proficisci
 ex ipsius mera voluntate, qua ei visum est, uno praterito alte-
 rum omittere: quæ mera voluntas Dei videtur ab illo constitui
 ipsum propositum Dei. In annot. min. adscribit: *Dei decretum,
 quod proficiscitur ex ipsius mera voluntate, qua illi visum est, uno prate-
 rito alterum eligere.* Utique illa voluntas, qua Deo visum est,
 uno praterito alterum eligere, non est ipsa ἐκλογὴ, sed est θελή-
 ματι & πρόθεσις. Oportet igitur propositionis κατὰ significatio-
 nem designare aliam. Id quidem non dissimulat Piscator. Ita
 enim transfert hunc locum: *ut propositum Dei, quod pertinet ad e-
 lectionem, maneret.* In analysi autem indicat, ex proposito Dei
 manasse & adoptionem sive electionem, & rejectionem sive re-
 probationem. Denique in scholiis verò ista habet. *Propositum
 Dei] ἢ θεῶ πρόθεσις, id est, decretum aeternum, quo Deus sibi proposuit,
 quos visum est, servare, & quos visum est perdere. Quod pertinet ad e-
 lectionem] ἢ κατὰ ἐκλογὴν, id est, ex quo proposito elegit, quos voluit.
 Propositio κατὰ hic non notat causam procreantem, sicut Eph. I, 5. & II.
 sed objectum, sicut 2. Cor. II. vers. 21. ubi dicitur, κατὰ ἀπρίαν λέγω, id est,
 πρὸς ἀπρίαν.* Et Claudius Alberius Triuncurianus de fide Cathol.
 Rom. orat. apodict. s. p. 299. per propositum Dei accipit consi-
 lium, & ait, *si Dei consilium & finis is, quem sibi proponit Deus, est fun-
 damentum rejectionis, multò magis Dei consilium est fundamentum ele-
 ctionis & successione legitime.* Concedit igitur, propositum Dei
 normam electionis esse, non verò electionem propositum Dei
 regulare. Eò & propendet Calvinus, cum ex his verbis elicit;
*Habemus ergò, totam electionis nostræ firmitudinem in solo Dei proposito
 esse conclusam.* Quocirca in univèrsum non propositum electio-
 ni, sed proposito electio subordinata est. Quanquam nolumus
 silentio prætermittere, quod alibi probabimus, quod h. l. πρό-
 θεσις atque ἐκλογὴ primò & immediatè non versentur in ipso ad



sempiternam beatitudinem electionis & ordinationis negotio, utpote de quibus *Rom. 9, 11.* Paulus non sermocinatur. Aliàs non ineptè diceretur ἢ κατ' ἐκλογὴν πρόθεσις, id quod ad electionem tendit propositum, ἢ ἐκλέγουσιν πρόθεσις propositum eligens, sicut *Act. 17, 28.* quidam τῶν κατ' ὑμᾶς ποιητῶν ad vos sc. attinentium Poetarum, pro τῶν ὑμετέρων ποιητῶν vestrarium Poetarum: *2. Cor. 8, 2.* ἢ κατὰ βάθος πτωχεία quæ ad fundum sc. pervenit seu progressa est paupertas, pro ἢ βαδίστη πτωχεία profundissima paupertas.

§. 3.

Ceterum illius προθέσεως objectum tam ipsi thesauri sunt ab æterna sapientia ordinari ad generis humani salutem, quam ipsi homines, quibus istos thesauros dispensare ad conversionem, justificationem, glorificationem sibi proposuit, quosq; divina ad hanc προθεσιν προγνώσει elegit. De hoc loqui S. Paulum *Rom. 8, 28. ex v. 29* liquet. De priori epistola ad *Eph. 1, 9. 11. & 2. Tim. 1, 9.* ubi Paulus ait, Deum nos salvasse & vocasse vocatione sancta sinceraque, non secundum opera nostra, sed κατ' ἰδίαν προθεσιν καὶ χάριν ἢ δωρεάν ἡμῶν ἐν χριστῷ Ἰησοῦ ἀπὸ χρόνων αἰωνίων, secundum proprium propositum & gratiam, quæ data est nobis ante tempora secularia. Ubi προθεσις καὶ χάρις est προθεσις κεχαιρισμένη, aut προπαισμένη χάρις. Est propositum, quod datum est nobis in Christo, quod explicatum, effectum, applicatumq; est in tempore à Christo & per Christum. *Rom. 16, 25. Eph. 1, 4. Col. 1, 26. Tit. 1, 2. c. 2, 11. 13.* Quam προθεσιν nervosè & graviter describit S. Paulus *Eph. 3, 8. & seq.* quod sc. fit ille ipse thesaurus impervestigabilis Christi, illud mysterium absconditum in Deo à seculis, qui omnia condidit per Jesum Christum, ipsa multis modis varia sapientia Dei, quæ per Ecclesiam principatibus & potestatibus supercælestibus innotuit, (ad quæ verba ita S. Chrysostomus scribit: *Fac, hominibus non fuisse revelatum. Nunquid & Angelos & Archangelos Principatusq; & potestates illuminas? Utique inquit. Atqui cum in Deo fuerit absconditum, in Deo, inquam, qui universa condidit per Jesum Christum, quomodo audes hoc dicere? Sed quomodo hoc manifestum factum est angelis? per Ecclesiam. Non dixit autem simpliciter, varia Dei sapientia, sed vehementer varia. Mysterium itaque istud quid fuerit, ignorabant angeli. Nam si principatus ignorabant, utique multo*

Locus Eph.
3, 8. & seq.
explicatur.

multò magis angeli. Quid igitur? num & archangeli non cognoverunt?
 Neque etiam illi? Vnde cognituri? Quo revelante? Quando vid. nos
 cognovimus, & per nos illi. Similia habet in prolog. super Johann.
 ubi de Johanne: Nihil nobis humanum, sed à Spiritus S. profundis &
 abditis thesauris omnia proloquitur, quæ neq; Angeli, priusquam hic dice-
 ret, noverunt. Namq; & ipsi nobiscum per Johannis vocem & per nos
 didicerunt, quæ cognovimus, & quod nobiscum B. etiam Paulus his verbis
 significavit, ut innotescat principatibus & potestatibus in cælestibus per
 Ecclesiam multiformis sapientia Dei. Si igitur principatus & potestates,
 Cherubinq; & Seraphin hæc per Ecclesiam didicerunt, planè constat, ipsos
 angelos summa cum attentione ejus sese auditores exhibere: quippe idcir-
 co non parum honoris consequimur, quod nobiscum angeli discant, quæ
 nesciunt. Quod autem per nos, longè magis honoramur &c.) Hæc
 enim omnia ἐκ ἀποδείξεως τῶν αἰώνων & κατὰ πρόθεσιν τῶν αἰώνων,
 quam in Domino nostro Christo Jesu fecit, nobis ad illumina-
 tionem nostram & deductionem ad communionem sanctorum
 revelata sunt. Ex hac æterna ἀποδείξει facta est in tempore ἀπόδειξις
 illa justificantis Dei, qua Christus nobis est ἀποπέμμεν & Ἰλασίειον
 ἡγ. τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτῷ αἵματι &c. Rom. 3, 25.

Quamvis autem propositum Dei, quatenus ex S. literis
 nobis constat, ad salutis humanæ œconomiam pertineat, aut
 ea concernat saltem, quæ huic ipsi sublimi negotio sunt proxima,
 non tamen dubitandum est, de omni re in temporis plenitu-
 dine adornanda fuisse Dei propositum, ad quod se referunt etiam
 omnes actiones in tempore. Sed non opus est, ut eò usque eva-
 gemur. In ea, quam circa hominis gubernationem divinam
 meditamur, materia βελή & πρόθεσις omninò idem sunt & regulæ
 rationem habent. Sic Luc. 7, 30. βελή θεῶν, quam sprevisse di-
 cuntur Pharisei, est ipsum propositum Dei, quo ab æterno sanxit
 per baptismi promulgationem ad regni cælorum initiationem
 sincerè invitare Phariseos. Sic Act. 2, 23. ὠεισμένη βελή Dei, est
 ejus sanctissimum propositum, quo prævisis omnibus mediis
 possibilibus, quibus ad immolationem Salvatoris mundi potuif-
 set commodè pervenire, sibi proposuit per ἐκδοσιν & quandam
 quasi expositionem certo tempore mundo & cum primis Phari-
 sæorum & Sacerdotum sanguinariæ societati committere & in-

§. 4.

Locus Act.
 2, 23. &c.
 4, 28. expli-
 catur.

defensum peculiari patrocínio, quo extraordinariæ tempestates ab ipso arcerentur, relinquere, post quam pateret *λίψη* etiam improbissima. Quod propositum simul regulam continet, quousque progredieretur & intra quos limites subsisteret, aut quorsum ordinaretur, effrenis audacia. quemadmodum etiam ad hanc regulam *προδέσεως* sempiternæ respiciendo *Act. 4, 28.* dicitur, convenisse contra sanctum Dei Patris filium, imensis sancti Spiritus charismatibus auctum, Pilatum & Herodem, Gentes & Israelitas, ut exequerentur, *δοσα ἢ χεῖρ θεῶν καὶ ἢ βελῆ θεῶν προάειπε Ἰσραὴλ.* Ubi nulla ratione dici potest, quæcunque quomodo-
cunque fecerunt improbissimi illi atque immanissimi homines, cum omnibus singulisq; circumstantiis esse ita prædefinita, ut ad arcanam aliquam Dei *ἄδουίαν* referenda sint. Neque enim sequitur, illi ex gentilismo & judaismo improbè congregati fecerunt, *δοσα* quanta & quæcunque manus & consilium prædefiniverunt: E. quæcunq; & quantacunq; illud conciliabulum Beliaal fecit, illa omnibus etiam cum circumstantiis sunt prædefinita à manu consilioq; divino. Namq; S. Lucæ ex ore S. Petri narratio ad ea, quæ cœlitus definita sunt manu consilioq; Dei, respicit: si quid ultra accidit, quod proposito consilioq; Dei non est consentaneum, hîc non attenditur. Non igitur ad *βελῶ* Dei divinumq; propositum pertinent impia consilia factaque sive tanquam ad antecedens inevitabile atque arcanum decretum, quo illi essent ad ea prædeterminati, quia talibus sese immerferunt, sive ad integrum quidpiam, ad quod complendum illa quoque suas conferrent partes, sed ut ad id, quod, cum aliquid destinat mortalium cœlesti perfectioni, ad eam usurpare potest, etiam quæ planè abhorrent à divina voluntate consilioque, si in se considerentur suisq; principiis. Sic *Act. 5, 39.* *βελῆ ἐκ θεῶν* est propositum divinum, quod exposuerunt S. Apostoli, quod in orbem universum divina autoritate disseminare sibi quoq; proposuerunt, sc. quod Jesum, quem suspensum in ligno Judæi interfecerunt, Deus Abraham, Isaac & Jacob suscitaverit & velut autorem servatoremq; exaltaverit ad dextram suam, ut per eum dispensaret pœnitentiam & remissionem peccatorum Israelitis *v. 30. 31.* Sic *Act. 13, 36.* cum dicitur Davidem ætate sua in-
viisse

S. 5.

Locus *Act. 13,*
36. expeditur.



viisse τῆς θεῆς βουλῆς, omnino etiam intelligitur propositum di-
 vinum, quo Deus Opt. Max. ab aeterno secum constituerat, illum
 Pastoralem puerum insperata excitatione regio balsamo inun-
 gere, in spem regni fovere, admovere summis aulae regiae nego-
 tiis, armare robore insuperabili, opponere hostibus populi sui
 immanibus, in thronum porro regalem collocare, complere fe-
 licitate multiplici, prosternere calamitatibus maximis, rursus
 erigere inter adversa, prophetam denique & typum pulcherri-
 mum Filii sui incarnandi constituere. Quamquam, ut id etiam
 annotemus, nonnulli illud τῆς θεῆς βουλῆς, ad ἐκοιμήθη referunt,
 quod sc. Dei voluntate David obdormiverit, postquam aetati suae
 inserviisset. Qua in re à B. Lutheri lectione recedunt etiam ex no-
 stris Lucas Lossius *Comm. h. l. p. 128.* Brentius *hom. 60. in Act. Tomo 7.*
oper. p. 250. Luc. Osiander *in Paraphr. h. l.* qui secuti sunt Erasmi
 editiones, quas etiam expressit Tigurina Lat. A. 1544. Basileensis
 Graeca in 4. A. 1545. in 8. Brylingerii, in 8. Gallico-Latina Per-
 nae, in 8. Tigurina Graeca Frofchoveri, in 12. Basileensis Walderi
 A. 1536. in 16. Lugduno Batava Raphelengij A. 1601. graeca: Va-
 tabli in 8. ed. R. Stephani Latina. Genevensis graeca in 4. Sca-
 ligeri. & editio Operis Regij, in fol. & alia exemplaria. Oecu-
 menij *Comm. in Act. h. l. ex edit. Veron.* post ὑπηρετίῳ etiam distin-
 guit. & editio Aldina A. 1558. in fol. Venet. & R. Stephani edit.
in fol. Beza hanc lectionem improbat, quia neque in vetustis
 exemplaribus reperitur, neque ulla ratione nititur: quis enim
 aliter quam voluntate Dei interveniente moritur? sed non o-
 mnes consilium Dei sibi pro vitae scopo proponunt, ut David.
 De vetustis exemplaribus, dubitamus. Neque enim tot editio-
 nes sine archetypi alicuius favore in publicum datae fuerunt. Et
 extat apud Cl. Bæclerum, Dn. Coll. & Affinem nostrum honora-
 tissimum, exemplar vetustissimum MS. Cti Graeci, ubi diserta est
 post ὑπηρετίῳ distinctio. Et ratio addita non obstat, quomi-
 nus Dei voluntas dormitioni Davidis praefigi & coniungi po-
 tuerit, non quidem ad designationem termini vitae, sed modi,
 quo etiam moribundus David sese Dei voluntati planè resigna-
 vit. quod etiam Calvinus, cui alia, quam Bezae, interpunctio pla-
 cuit, annotavit. Cui & consonat R. Gualtherus *hom. 92. in acta.*
 & Au-

& August. Marlorat. expos. Cath. h. l. Theophylactus græc. in Act. ed. Colon. uno continuo textu verba proposuit, ὑπηρετήσας τῇ βελῇ θεῶ ἐκοιμήθη &c. licet L. Sifanius interpres distinguat more Erasmi, in versione. Sic & uno continuat contextu editio Henr. Stephani A. 1612. cum H. Casauboni notis: Δαβὶδ μὲν γὰρ ἰδίᾳ ἤρεσεν ὑπηρετήσας τῇ ἑ θεῶ βελῇ ἐκοιμήθη. Conjungit verò πρὸς θεῶ βελῶ cum ὑπηρετήσας, separat ab ἐκοιμήθη, Syrus interpres, qui & conjunctionem interferit. Velut & Arabicus, quem Fr. Junius ex Bibl. Palatina nobis ita præsentat: *David ministravit voluntati Dei in generatione sua & obdormiens positus est cum patribus suis &c.* Joh. Chrysostomus hom. 29. in Act. ed. Commel. ita recenset contextum Paulinum, Δαβὶδ μὲν γὰρ ἰδίᾳ ἤρεσεν ὑπηρετήσας τῇ ἑ θεῶ βελῇ, ὡροσπέθη ὡς τὸς πατέρας αὐτοῦ. Nonnullæ editiones Vulgati Interpretis quidem ita textum proponunt; *David enim in sua generatione cum administrasset, voluntati Dei obdormivit*: fatentur verò Lorinus, Barth. Petri Lintrensis, Saa & alij, distinctionem ibi incommodè poni, adeòq; collocandam esse, sicut B. Luth. collocavit. Et Diätenbergius ita: *Dann David / da er zu seiner Zeit gedienet hat dem Willen Gottes / ist er entschlaffen &c.* Sed & editio Birckmanni Antverpiæ A. 1526. in 8. ita habet. *David enim in generatione sua, cum administrasset voluntati Dei, obdormivit &c.* R. Stephanus autem in edit. gr. A. 1549. in 12. βελῇ ab ἐκοιμήθη distinguit, & edit. germ. Tigurina in 12. Froshoveri suffragatur. Et hanc interpunctionem secuti sunt Græcæ editionis Lugd. Batav. accurator A. 1633. interpretes Italicus, Gallicus Genevensis, Anglicus, Belgicus, Piscator, & ante illos omnes Conr. Pelicanus. Henr. Bullingerus in Com. h. l. utrinq; interpungit & ita textum exhibet: *Nam David quidem cum suæ aetati inservisset, consilio Dei, dormivit*: Verum enim verò sive πρὸς θεῶ βελῶ consilium Dei ad ὑπηρεσίαν restrinxerimus, sive ad κοιμήσιν Davidicam, ad nostram quidem causam quod attinet, nequaquam βελῶ θεῶ aliter, quam propositum Dei explicare necesse erit. Etenim etiam de beata sanctorum suorum dormitione aeterna Dei ὡς θεῶς est. Sic & Act. 20, 27. Πᾶσα ἡ βελῇ ἑ θεῶ (Syrus habet *נְהַלְתָּהּ בְּעֵינֵי דֵי* voluntatem Dei) *Omne consilium Dei, quod S. Paulus non intermiserat annunciare Ephesiis, est & ipsum*

Locus Act.
20, 27. ex-
penditur.

ipsum propositum divinum dispensationum ad beatitudinis divinæ collationem cœlestium bonorum. In eo continentur τὰ Συμφέροντα, de quibus v. 20. quæ Syrus vertit **נחמך ונתן** quod expediens est animabus vestris. Sunt autem τὰ Συμφέροντα, quæ efficiunt **πῶς εἰς τὸ θεὸν μετάνοιαν καὶ πίσιν πῶς εἰς τὸ κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν** v. 21. quæ complectitur Evangelium gratiæ Dei v. 24. quo explicatur regnum Dei v. 25. cum omnibus ad eius constitutionem pertinentibus, in primis autem illa **πειποιήσις**, quam Deus **ἵνα ἴδῃ αἱματι** per proprium sanguinem efficit. v. 28. Sic & **ἀμετάθετον τῆς βελῆς** & θεῶ **Hebr. 6, 17.** immutabile consilii Dei est etiam τὸ ἀμετάθετον τῆς **προσδέσεως**, quæ **μένει** manet **Rom. 9, 11.** Syrus reddit **הלשם אל הירושלם** promissionem sive pollicitationem, quæ non mutatur. Continet autem propositum divinum ipsas promissiones divinas. Et hoc ipsum **ἀμετάθετον τῆς βελῆς** est de benedictione per semen benedictum omnibus gentibus communicanda v. 14. de **κληρονομία τῆς ἐπαγγελίας** v. 17. quam proposito planè invariabili & perpetuo cum hominibus communicare voluit is, quo major non est, qui juramento incomparabili sese ad id obstrinxit v. 13. 14. 17. Itaque secundum consilium propositumq; suum tanquam normam æterno decreto constitutam apud se τὸ **δέλημα** voluntas Dei operatur.

Tertiò ergo concipienda divina **ἐνέργεια**. Dicitur enim Deus **πάντα ἐνεργῶν κατὰ τὸ βελλὸν τῆς δελήματι** αὐτῶ, omnia operans secundum consilium voluntatis suæ. A voluntate Dei per potentiam juxta consilium propositumque Dei promanat operatio. Hinc dicitur **ἡ ἐνέργεια τῆς κράτους τῆς ἰχύτι** θεῶ efficacia roboris virium Dei **Eph. 1, 19.** quod **κράτι** divinæ efficaciam dicitur etiam **ὑπερβάλλον μέγεθτι τῆς δυνάμεως θεῶ** superexcedens magnitudo potentiam Dei v. 19. & **6, 3, 7.** est **ἐνέργεια τῆς δυνάμεως θεῶ** efficacia potentiam Dei, quæ dispensat gratiam annunciandi inter gentes impervestigabiles divitias Christi & illuminandi omnes ad communionem mysterij absconditi à seculo in Deo, qui omnia condidit per Jesum Christum, v. 9. 10. quæ etiam facta est **κατὰ πρόθεσιν τῶν αἰώνων πεποιημένῃ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ** secundum propositum seculorum factum in Christo Jesu

L

Domi-

Locus Hebr.
6, 17.

§. 6.

Domino v. ii. Eadem describitur *Phil.* 3, ii. quod sit efficacia Jesu Christi, qua potest omnia sibi subiicere. Est autem illa divina ἐνεργεια duplex, si modum exercendi in operibus divinis attendamus; Est enim ἐνεργεια ἐν μέτρῳ *Eph.* 4, 7. 16. quæ in certo ordine terminatur, quem spernens, negligens, evertens, non attinges, nō attingit etiam divina ἐνεργεια ex illo ordine. Est etiam ἐνεργεια divina ἀσείρηται nullō certo circumscripta ordine, in qua non tantum agit Dei ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς δυνάμεως, sed & Deus agit secundum illius ὑπερβολὴν secundum omnem aut ampliolem intensiōnem potentiaē suæ, secundum quam si vellet agere, posset Deus hoc momento hominibus applicare meritum Christi, conferre palingenesiam & immortalitatis gloriam. Interim unicuiq; proposito divino determinata est ἐνεργεια in tempore: nullum propositum omnino est ἀνενεργητόν.

§. 7.

Omnis actio
Dei in tem-
pore circa
creaturam
rationalem
ex proposito
Dei fluxit.

Notamus II. omnem actionem divinam in tempore circa creaturam rationalem ad propositum consiliumq; voluntatis divina pertinere & ex eo fluere, etiam productionem eius & collocationem in eum statum, in quo sub præceptorum norma ad certum finem, sc. beatitudinem sempiternam, gubernari debuerat. Creatura rationalis duplex est, angeli & homines. Creaturae angelicae productio extra omne dubium ex consilio propositoque Dei fluxit. Imò & productio talis, qua nempe universos angelos in eum statum collocavit, in quo per impressa & concreata præcepta ad beatitudinem sempiternam gubernari debuerant, ad propositum divinum referenda est. Nimirum proposuit Deus, angelis universis hunc statum & communicare & ἐνεργεια determinata continuare, in quo demum confirmarentur in ista bonitate jam accepta. Et quidem I. profumitur illud propositum Dei ex ipso facto. Quia enim communicavit angelis statum perfectionis suæ per creationem, nemo dubitat, quin & ab æterno istam communicationem sibi proposuerit & eandem continuare decreverit, sic tamen, si in ordine propositi consisterent. Harmoniam namque esse inter communicationem in tempore & πρόθεσιν αἰώνων propositum, æternitatis oportet. Et sapientia divina atque bonitati congruit, quam semel comunicavit perfectionem Deus, non ad brevissimi duntaxat temporis periodum velle comunicare, deinde ante-

antecedanei cuiusdam conclusi rigore velle intercidere, sed con-
tinuare & propagare, quantum in se est ex decreti modulo, qui
definitionis liberrimæ est, nec in disputationem vocari debet,
quod non fuerit ulterior. Quod autem angelis in universum
statum perfectionis in principio communicaverit Deus, id fere
inter Theologos certum esse videtur. Hugo de S. Victore qui-
dem lib. 1. de sacram. part. 5. cap. 29. & in summa sentent. tract. 2.
cap. 2. & Rupertus Tuitiensis Abbas l. 1. in Genes. cap. 14. 15. & 16.
volunt, *Angelos non fuisse in iustitia & sanctitate apud Deum, sed in
pura natura, ut loquuntur, hoc est, nec justos, nec injustos, creatos. Quam-
vis enim Rupertus dicat, Angelos creatos fuisse innocentes, hoc est,
sine peccato, addit tamen, non statim habuisse dilectionem Dei: imò
de malis asserit, nunquam eam habuisse. Quod verò docet eodem
lib. c. 11. & 17. Angelos in hoc mundo inferiori creatos, & postea gratia
Dei in cælum translatos, non intelligit de gratia justificationis,
sed quia dono Dei gratuito sedes illa cœlestis illis concessa fuit;
nam & malos antequam peccarunt, fuisse in cælum translatos
apertè docet, & tamen inquit, eos nunquam dilectionem Dei
habuisse. Refertur in hanc etiam sententiam Lombardus, qui
in 2. sent. dist. 5. c. 2. disertè ait; angelos non fuisse creatos in conver-
sione ad Deum, sed in potentia tantum ut converti possent, & cap. 4. & 6.
affirmat, datam illis fuisse gratiam cooperantem, ut ad Deum conver-
terentur, quia perstiterunt sine peccato per liberum arbitrium, malis au-
tem nunquam fuisse concessam, quia per peccatum ea carere meruerunt.
Asserunt autem ex scholasticorum turba, Angelos non fuisse in
sanctitate & gratia creatos, Guil. Antisiodorensis lib. 2. summ.
tract. 1. cap. 1. & Henricus Gandavens. quodl. 4. q. 10. post med.
Tamen si enim dicat, nihil hac de re certi haberi posse, affirmat tamen,
hoc esse probabilius. Cui consentiunt Card. Bonaventura in 2. sent.
dist. 4. art. 1. q. 2. Richardus de Mediavilla art. 2. quest. 2. Thomas de
Arg. q. 1. art. 2. (ubi contra solennes, quos vocat, Doctores, asseren-
tes, angelos in sanctitate & iustitia fuisse creatos, sic disputat: Illud
quod creato est concreatum, videtur esse naturale ipsi creato, igitur si an-
gelis gratia fuisset concreata, ipsi angeli potuissent gratiam reputasse na-
turam. Præterea complacentia, qua creatura in gratia gratum facien-
te complacet sibi ipsi, ex eo, quod est in gratia, est actus meritorius vitæ*

*Qui doce-
ant, ange-
los lapsos
non fuisse
creatos in
sanctitate;*

aterna. Nam sicut angelus vel quaecunque creatura demeretur, sibi ipsi nimis complacendo in naturalibus, sic meretur sibi complacendo in gratuitis: sed quicumque angelus vidisset se in pulchritudine gratia gratum facientis, necessario sibi in hoc complacuisset. Igitur vitam aeternam meruisset & per consequens nullus fuisset damnatus. Ad rationem autem, quâ ex eo, quod homo fuit creatus in gratia, concluditur, quia angelus non minoris dignitatis fuit, quam homo, etiam angelum ita debuisse creari, respondet, negando antecedens, & dicit, sufficere debuisse angelo amorem Dei naturalem) Bassolius *quest. 1. art. 3.* Ægidius Romanus *quest. 1. a. 4.* Marfilus Inguenius *in 2. q. 4. a. 1. concl. 1.* Etiam Scotus *in 2. dist. 1. q. 1. §. ad inquirendum*, in hanc opinionem inclinat. Alexander Alesius *in summ. part. 2. quest. 19. membr. 2.* post defensionem utriusque sententiæ probabilius denique iudicat, angelos in sanctitate & iustitia non fuisse creatos. Omnes verò citati scriptores, de angelis lapsis tanquam certissimū pronuntiant, eos in gratia nunquam fuisse. Ita tamen Scripturarum testimoniis & antiquitatis consensu & rationum ab analogia fidei depromptarum evidentiâ tuetur se eorum sententia, qui angelos universos sanctos justosque creatos fuisse asseverant, ut contradicentium ratiocinationes parum æstimentur. Manifestum enim est angelos omnes in veritate fuisse, *Joh. 8, 44.* inq; ἀρχὴ καὶ οἰκιστὴς ἁγίου cum Deo communionis *Iud. 6.* Egregiè Basilius M. in *Psal. XXXII. v. 6.* inquit: Ἀγγέλων μὲν εἰς τὸ εἶναι πάροδον ὁ δημιουργὸς τῶν ὀλῶν ὁ ποιητὴς λόγου παρέχετο, τὸ ἀμασμὸν δὲ αὐτοῖς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον συνεπέφερεν. οὐ γὰρ νήπιοι κλιθέντες οἱ ἄγγελοι, εἶτα τελειωθέντες τῇ κατ' ὀλίγον μελέτῃ τῆς ἐσίας αὐτῶν συγκαταβληθεῖσαν ἔχον τὴν ἀγιότητα, διὸ καὶ διαμετάθετοι εἰσι πρὸς κακίαν, εὐδὺς, οἰονεὶ βαρῆ πνι, τῶ ἀμασμῶ συμωθέντες, καὶ τὸ μονιμὸν εἰς ἀπέλλω, τῇ δωρεᾷ δὲ ἁγίου πνεύματος ἔχοντες. Cornarius ita reddit: Angelorum ad essentiam processum, opifex universorum creator verbum produxit. Sanctificationem autem ipsis Spiritus S. contulit. Non enim infantes creati sunt angeli, deinde paulatim exercitio perfecti, sic ad spiritum suscipiendum digni facti sunt. Sed in prima compage & veluti massa substantia ipsorum, sanctitatis primordia simul iacta habuerunt. Quapropter etiam agrè ad malitiam transire possunt, statim sanctificatione veluti tinctura quadam cor-

Qui statuerunt, angelos omnes sanctos fuisse creatos. Basilius M.

robo-

roborati & stabilitatem ad virtutem ex dono sancti Spiritus habentes.
 Dionysius Alexandrinus in *Catena Nicetae Heracleensis in Iobum*,
 quam ex editione Patritij Iunij Londinensi habemus, p. 23. ait, Diabo-
 lum in creatione accipisse ἀγγέλου ἐξουσίαν, conditum fuisse ἔχοντα
 αὐθαίρετον ἢ ζωὴν in sua potestate habentem vitam, καὶ ἐπ' αὐτῷ κει-
 μένῳ ἢ ἐξουσίαν, ἢ ἄλλοιωθῆναι ἢ ἀγαθῷ. Con-
 sentit Anastasius Nicænus in *quest. & respons. S. Scriptura, quæ extant*
Tom. VI. Bibl. S. quest. 61. qui in suam sententiam etiam allegat
 Theodoretum *lib. de cultu Dei.* qui & in *epitome decretorum divino-*
rum lib. IV. cap. de Diabolo & demonibus asserit; *Sicut hominem bo-*
num ab initio fabricatus est Deus, libero autem mentis arbitrio hi quidem
servarunt incorruptam & integram, quam acceperunt, naturam, illi verò
in pejus declinarunt & divinos characteres corruperunt, & qui erant
Deo similes, se ferinos reddiderunt; ita & Diabolo & demonum cetera,
qui erant cum aliis incorporeis, illorum quidem in Dominum Deum bene-
volentiam non sunt imitati, insolentia autem & arrogantia morbo susce-
pto, ad id, quod est deterius, conversi sunt & à priori sorte exciderunt.
 Johannes Damascenus *O. F. lib. 2. cap. 3.* ferè verba Basilij exhibet.
 Capite autem 4. inquit: Ἐκ τέτων τῶν ἀγγελικῶν δυνάμεων προιοσά-
 τῃς τῆς πειρῆς τάξεως καὶ τῆς γῆς ἢ φυλακῆς ἐγχειρῆσαι ἄρα θεῷ, ἢ φύσει
 πονηρὸς γενεὸς, ἀλλ' ἀγαθὸς ὢν καὶ ἐπ' ἀγαθῷ ἡμόμενος, καὶ μηδὲ ὅλως ἐπ'
 ἑαυτῷ ἄρα ἢ δεικνύει κακίας ἐρηκῶς ἵχνη, μὴ ἐνέγκας τόντε φωτισμὸν
 τῷ τε πῦρ, ἢ αὐτῷ ὁ δεικνύει ἐδωρήσατο, αὐτεξουσίῳ πρᾶξι ἐτρέπη
 ἐκ τῆς κατὰ φύσιν εἰς τὸ ἄρα φύσιν. Et post: Ὡς ἐν (νοητὸν) κλίματι
 ὑπὸ τῆς δεικνύει. Ex *ijs angelicis virtutibus ea, quæ præerat terrestri*
ordini & cui à Deo terræ custodia commissa erat, non natura mala facta
est, sed bona existens & à bono facta, & nullo pacto in seipsa à conditore
malitia vestigium tenens, non ferens illuminationem & honorem, quem
ipsi conditor indulserat, libera voluntatis potestate demutata est ex eo statu,
qui secundum naturam, in eum, qui contra & præter naturam est. Et post:
Lumen igitur intellectuale ipsa creata est ab opifice. In eandem sen-
 tentiam è Latinæ Ecclesiæ Dd. concedit Hieronymus ad *Os. 3.* &
Job. 4. Gregorius M. *lib. 32. Moral. cap. 18.* qui ait, *Diabolum in-*
ter angelorum corda charitatis igne succensa clarum gloria conditionis
extitisse. Prosper Aquitanicus *de vita contempl. lib. I. cap. 3.* Isi-
 dorus Hispalensis *de summo bono l. I. contr. sent. 7.* Anselmus Can-



tuariensis de casu Diaboli cap. 4. 17. 27. & qui omnes antecellit per perspicuitate professionis Augustinus de civ. Dei lib. XII. c. 9. Rationem verò ex collatione productionis primorum parentum & angelorum nullo modo subvertunt, qui negant, etiam primos parentes habuisse ex creatione sanctitatem & justitiam: quibus si non favisse, saltem disputandi libertatem reliquisse videtur Concil. Tridentinum sess. 5. decr. de peccato originali Can. 1. dum ait, *Adamum per peccatum justitiam & sanctitatem amisisse, in qua à Deo constitutus est.* Nam, ut excipit Vasquez Comm. in I. Thom. Tom. I. q. 62. disp. 217. cap. 3. n. 3. *constitutum esse*, non significat conditum, sed ordinatum esse, quare in concilio solum ut certum definitur, Adamum antequam peccaret, justitiam & sanctitatem habuisse. Nostro enim instituto satis est, Deum omnium conditorem Angelis lapsis, antequam laberentur, justitiam & sanctitatem communicasse: ex hoc ipso namque propositum continuandi præsumimus. Quanquam fortius evincitur, si illam justitiam & sanctitatem concreatam atque connaturalem fuisse dicamus.

§. 8.
*Angelorum
 etiam de-
 fertorum
 creatio in
 sanctitate
 & justitia
 probatur
 ex Ioh. 8,
 44.*

II. Probatur *sacrarum literarum suffragio, imò iudicio.* Primum est è *Johann. IX, 44.* *Διάβολος ἐν τῇ ἀληθείᾳ ἔχ' ἔσηκεν.* Notamus autem 1. quod per Diabolum intelligatur tota caterva malignantium spirituum in multas sparsa legiones. Vocatur autem ita cum respectu ad primam illam & abominabilem calumniam erga genus humanum virulenter effusam, qua ita cavillari veritatem divinam & calumniari per unum ex exercitu suo principem in paradiso aggressi sunt, ut inde mors spiritualis in primis & consequenter corporalis illata fuerit universo generi nostro. Vnde & *ἀνθρωποκτόνος* vocatur. 2. per *ἀλήθειαν veritatem* non eam tantum intelligi, circa quam immediatè in paradiso mentitus & cavillatus est. Partim enim haud quaquam commodè dici potest, eum in ista veritate non stetisse. Neque etiam obligabatur unquam, ut isti veritati infisteret & adhereret, circa quam cum Adamo dolosè vaferrimèque disputavit. Partim etiam longè altius malitiæ diabolicæ profunditatem repetere voluisse Christum, ex colloquii circumstantiis patet. Vnde & addit, non esse veritatem in illo. Hoc verò ipso significat Chri-

Christus, in diabolo non esse illam perfectam & sacrosanctam veritatem, quæ ubi intellectui creaturæ rationalis impressa est & affulget, omnes eius actiones ad summam veritatem dirigit. Arguit igitur eum, quod nec in se veritatem habeat, quam in sese habere decet creaturam rationalem, quæ in ea conditione est, quam à conditore habet, quæ proximum lumen est à summo lumine, & proximam summæ veritati veritatem habere debet: nec à se diffundat veritatem, cui jam post eam amissam infensissimus hostis est factus & cuius oppositum mendacium perenni libidine fovet & propagat. Ἀλήθεια apud Johannem amplissimè non semel sumitur & ipsam etiam intellectualem perfectionem creaturæ rationalis, hoc est, sapientiam notitiamque, siue lumen cognoscendi & voluntatis auxilia, justitiam sanctitatemque denotat. Sanè Cap. 1, 17. ἀλήθεια, quæ per Christum Jesum ἐγένετο, non constat nudis revelationibus, sed includit omnem perfectionem rationalem, quæ ex officio Jesu Christi promanavit. Et Cap. 3, 21. ποιεῖν τὴν ἀλήθειαν non spectat ad justitiam cum exclusione cæterorum ornamentorum, ex quibus actiones nostræ condecorantur, sed denotat, agere ex concursu sapientiæ intellectum illuminantis & justitiæ voluntatem gubernantis. Sic Cap. 8, 32. ἀλήθεια non est duntaxat veritas revelata verbo Dei comprehensa, sed & Deum Patrem & in primis Jesum Christum includit, eiusque officium sacerdotale, adedque omne id, ex quo rationalis perfectio in spiritualibus proficiscitur. Unde & Christus dicitur ἀλήθεια, Joh. 14, 6. & Spiritus S. πνεῦμα τῆς ἀληθείας, Joh. 14, 17. & c. 16, 13. & c. 15, 26. & ἀλήθεια regni Christi præcipuum est obiectum, c. 18, 37. Pertinet huc etiam appellatio, qua Christus dicitur τὸ φῶς τὸ ἀληθινόν lux vera, hoc est, summæ perfectionis. Conf. 1. Joh. 2, 8. & quod dicitur ἀληθινὸς θεός, non nuncupativus, factitius & finitus Deus, sed qui habet summam infinitamque Deitatis perfectionem, φύσει θεός. 1. Joh. 5, 20. Apoc. 3, 7. 14. c. 19, 11. quod dicitur ἡ ἀμπελὶς ἡ ἀληθινή, Joh. 15, 1. Ἀλήθεια ergo hæc est perfectio spiritualis, qua posita à diabolo fluxissent, quæ ex ordinatione Dei ad conservationem humani generis in esse suo spirituali paradisiaco fuissent perficienda, quam si intra se adhuc haberet, non esset pater omnis impuritat

tatis

tatis & fons mendacij, non scateret fœdissimis illis & abominabilibus concupiscentiis, in quibus sese horribiliter volutat & alios contaminat, qua posita cum præcipua quadam & incomparabili voluptate multivariam sapientiam Dei in Christo complecteretur, disceret, admiraretur. Jam cum illam non amplius habet, est destructor, quantum in se est, generis humani, est pater impuritatis & fons mendaciorum, scatet fœdis & abominabilibus concupiscentiis, abhorret à Christo & eius mysteriis. Cogitari potest, Christum ad angelos adhuc stantes respicere & illorum veritatem huius falsitati & impuritati opponere, qui hominum generi liturgiam sanctam præstant, abhorrent ab omnibus impuritatibus, πολυποικίλω sapientiam Dei admirantur. Notamus III. illud ἐκ ἔσθηκε negationem continuationis & perseverantiæ in veritatis statu designare. Non enim dicit Christus: veritati repugnavit & malitiosè restitit. Neq; etiam dicit, *in veritate non fuit, sed in veritate non stetit*. Simplicia verba more Hebræorum in aliis etiam linguis pro compositis ponuntur. Sic stare pro persistere, subsistere. Jos. 7, 12. Ps. 1, 5. Luc. 21, 36. 2. Tim. 2, 19. Eph. 6, 11. 13. 14. Iudæ 24. 1. Cor. 15, 1. Col. 4, 12. Arabs, notante Ludov. de Dieu h. l. p. 451. transfert, ut appareat, eum hunc sensum collegisse, Diabolum sui semper esse similem, homicidam fuisse ab initio, ab eo tempore eum in veritate non stare, quia ex quo defecit, nulla est in eo veritas. Etiam Syrus verbo præsentis ἔσθηκε repræsentat. Non opus est. Nam quod sequitur, ὅτι ἐκ ἐστὶν ἀλήθεια ἐν αὐτῷ, non ostendit causam, cur in veritate non steterit, sed consecutionem, ex qua rectè colligit Dominus à consequenti, illum à sua origine defecisse. Simile exemplum locutionis est Luc. 7, 47. Sic Contr. Pelicanus h. l. Ille per suam superbiam excidit à veritate. Henr. Bullinger h. l. *Bonus quidem conditus erat diabolus à Deo, cuius opera omnia bona sunt, collocarat ipsum in veritate, à qua nunquam excidere potuisset, nisi in ipsa sterisset aliquando. Requirebatur ab ipso à Deo justissimo veritas, fides, sive fidelitas, gratitudo, officium & agnitio Dei creatoris, qui vires perseverandi, si voluisset, contulerat. Nam stare potuisset, si voluisset: atqui sua culpa & suo vitio in veritate non stetit, in ea inquam puritate, in qua conditus erat: infidelitate enim excidit, id est, fidem non præstitit. Causa, quia non est*

est veritas in eo. non quod sic esset creatus, sed quod post perfidiam sua culpa suoz, vitio talis esset effectus. Fuerat sanè lux & spiritus purissimus Dei conditione, sua autem spontanea malitia factus est tenebra & spiritus immundissimus. R. Gualtherus hom. 79. in Joh. p. 173. Hinc colligitur, Diabolum aliquando in veritate fuisse. Excidit autem pro sua statione, in quam Deus illum constituerat. Et post: Constat propria malitia lapsos esse & è sua gloria decidisse angelos, quos Deus initio bonos creaverat. Wolfg. Musculus Comm. h. l. p. 543. Videndum, inquit, est, an plura sint genera veritatis, & quomodo lapsus fiat ex veritate. Principio certum est, Deum illum, quem Scriptura vocat אֱלֹהִים, id est, existentem, summam, eternam & primam omnium esse veritatem, ita, ut quacunque reliqua respectu illius, sint vanitas. Esse & veritas à se invicem disjungi non possunt; non potest ostendi essentia sine veritate. Deinde ut fons est essentia, ita est & veritatis. Tertio omnis illius voluntas, quodcunque illius verbum ipsissima veritas est. Præterea secundaria veritas est in creaturis Dei, veritas angeli, boni spiritus ac Deo subditi. estq; hoc ipsum, quod creatus & ut esset factus est, nempe ut esset spiritus bonus Deo per omnia subiectus. In hanc veritatem constitutus fuit Diabolus beneficio creationis: sed suggestionem superbiae victus ac prostratus, in veritate hac non stetit, è bono spiritu Deoq; subiecto secundum naturam, factus est superbus, malus & adversarius. Consentit Marloratus in expos. Cathol. h. l. Calvinus h. l. & in Instit. lib. 2. cap. 14. s. 16. Zach. Ursin. explic. Catech. part. 1. pag. 52. Guil. Bucanus Loc. 7. q. 3. p. 75. Anton. Walæus in Enchirid. Operum fol. 9. & in Loc. Comm. Operum fol. 194. Hieronym. Zanchius de oper. sex dier. lib. 2. cap. 6. pag. 98. Diodati h. l. ad voc. veritatem annotat: Così intende, quella prima integrità, è dirittura, nella quale furono creati tutti gli angeli.

Refellendus igitur nobis est Gabr. Vasquez Jesuita, qui Tom. 2. in 1. partem Thomæ q. 62. disp. 217. cap. 3. ita de hoc loco disputat: Afferunt nonnulli testimonium illud Ioh. 8. ille sc. diabolus in veritate non stetit; h. e. in gratia & sanctitate apud Deum, quæ à Patribus vocari solet veritas, non perseveravit: stare enim significat permanere: quod verò permanet in aliquo statu, in eo prius fuisse intelligitur: perinde igitur est, angelum non stetit in veritate, atque in sanctitate, in qua conditus est, non perseverasse aut permansisse. Nomine autem veri-

§. 9.

Vasquez
contra lo-
cum Ioh. 8.
44. excep-
tiones re-
futantur.

M

tatis

tatis eo loco intelligunt rectitudinem vite Chrysoft. hom. 53. in Iohann. & Euthymius in illa verba : ut diabolus dicatur non sterisse in veritate, quia non perseveravit aut non quievit in vite rectitudine. Quo sensu ex predicto testimonio non leve desumi potest argumentum. Verum quia ceteri Patres variè intelligunt verba citata, mea quidem sententia parum ex illis probari potest. Cyprianus lib. de Orat. Domin. in principio explicat hoc modo, In fidelitate non stetit. Augustinus verò lib. contra Adimantum c. 4. veritatem usurpat pro lege angelis data, ut sensus sit, in lege sibi data non stetit : quod sanè contingere potuisset, etiamsi non in gratia Dei sed in pura natura Angelus creatus legem observandam accepisset & eam non observasset. Demum non pauciores, nec minus graves Patres nomine veritatis intelligunt veracitatem, quam vocant Scholastici veritatem in dicendo. Ita explicat Irenæus lib. 5. contra hereses cap. 22. Chrysoftomus Tom. 1. homilia de lapsu hominis primi, parum à principio, Epiphanius heresi 38. eosq; sequitur Theophylactus in illum locum Iob. Quorum sanè interpretatio, quod contextui Evangelistæ maximè congruat, mihi summopere probatur. Nam Christus eo loco suggillare voluit Iudeos, quod mendaces essent & homicidæ : ideoq; dixit illis, vos ex Patre Diabolo estis & desideria Patris vestri vultis facere, quæ verò essent hæc desideria, & in quo vellent patrem suum diabolum imitari, subinde explicavit his verbis ; ille homicida erat ab initio & in veritate non stetit, & non est veritas in eo : cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est & pater eius (sc. mendacij.) Appellavit igitur Christus diabolum mendacem, imo patrem mendacij, quia primum mendacium, quod scimus in mundo dictum fuisse, à diabolo inventum & dictum fuit, cum dixit parentibus nostris in paradiso, nequaquam morte moriemini &c. Ecce primum & insigne mendacium. Rectè igitur intulit Iohannes, cum Diabolus mentitur, non usurpare peccatum ab aliis inventum, sed ex propriis loqui hoc est, mendacium, quod ipse primus confinxit & introduxit in mundum, assumere. Cum igitur Iudæi planè mentirentur, ut constat ex eo capite, cum simularent animum non occidendi Christum, secretò autem mortem illi machinarentur, rectè dixit, vos ex Patre diabolo estis, tum quod in mendacio illum imitarentur, qui fuit autor mendacij, tum præcipuè in animo occidendi ipsam Christum, quia diabolus ab initio mundi homicida fuit, sollicitè necem hominum quarens, suadensque Caino primum homicidium Abelis fratris sui, rectè igitur

igitur Patres allegati per veritatem apud Iohannem intelligunt veracitatem. Porro autem verbum STETIT non denotat semper in scripturis perseverantiam. Nam illud Ps. 1. in via peccatorum non stetit, nonnulli per παραλογίαν aut αὐτολογίαν accipiunt pro eodem, quod in eodem versu dicitur, non abiit in consilio impiorum, ac si diceretur, non fuit in consilio impiorum, nec in una via peccatorum. Clarius multo STARE usurpatur pro ESSE, sicut apud Paulum 2. Cor. 3. in ore duorum aut trium stabit omne verbum, h. e. erit. Capitur etiam in scriptura STARE pro eo quod est consistere & firmum esse, quod idem est atque non cadere, ut ad Rom. 14. Domino suo stat, aut cadit. Dicitur igitur diabolus in veritate non stetisse, non quia prius in ea fuerit & deinde in ea non manserit, nec perseveraverit, sed quia per mendacium cecidit, etiamsi per superbiam cecidisset. Quod si veritas in eo loco capiatur pro veracitate, verbum stetit non potest denotare perseverantiam in antiquo statu & opere; nam demona antequam verba illa diceret patribus nostris, nec mendacium, nec verum aliquod dixerat, in quo deberet perseverare: tum igitur, cum primum mentitus est parentibus nostris, dicitur in veritate non stetisse, hoc est, mendacio cecidisse.

Nihil enim Vasquez adfert, quod antiquitatis conclusio-
nibus ex illo factis derogat. Cyprianus *serm. 6. de orat. dominica*, non habet fidelitatem pro veritate. Constanter legitur, in veritate non stetit, in antiqua Erasmi Basileensi editione, & in Antverpiana A. 1542. & in Antverpiana Pamelij, qui & in annotationibus nihil observavit, quod aliter haberent Mss. Sed & si pro veritate fidelitatem accipisset Cyprianus, nobis haudquaquam adversaretur. Illa enim summa & maxima conjunctio, qua sibi subordinaverat Deus angelos & obligaverat ad perpetuum obsequium, ad quod instructi erant donis præcellentibus, fidelitas est angelica. Estque præcipua quædam sive pars, sive soboles veritatis. Certè sine illa, quam intelligimus, veritate esse non potest. Sanè qui creati sunt in fidelitate, illi non sunt creati in puris, ut vocant, naturalibus, nec nudas quasi intellectus & voluntatis habuerunt potentias, sed & proportionata obiecto, cui fidelitate erant devincti & paria statui concreata habent auxilia. Ita verò angeli sunt creati, non dissentiente Vasquezio. Augustinus autem *lib. contra Adimantum c. 4.* non dicit, quod eum dicere

§. 10.
Cyprianus
iudicatur.

Et Augustinus.

Jesuita asserit. *Duobus, inquit, modis peccatores infideles Iudæi filij diaboli vocantur à Domino, vel quod ab ipso impietatem didicerunt, vel quod ipsum imitantur, quod magis pertinet ad id, quod de illo dictum est, Et in veritate non stetit: quia & ipsi Iudæi in veritate legis, quæ sibi data est, non steterunt.* Hic sanè non loquitur Augustinus de lege aliqua Angelis data. Nequæ sequitur; Judæi imitati sunt Diabolos in eo, quod à lege sibi per Mosen data desciverunt, sicut Angeli à veritate desciverunt; E. veritas, à qua Diaboli desciverunt, fuit lex Angelis data. Potest enim etiam inter veritatem concreatam, quæ in iustitia & sanctitate consistit, & inter legem Mosaicam comparatio institui. Imo lex Mosaica est quasi typus sanctitatis & iustitiæ concreatæ. Si verò per legem Angelis datam intelligas, ipsum concreatum dictamen iustitiæ & sanctitatis, potest autem illa ita appellari, jam Augustinus hoc in illo loco intellexit, quod nos ex illo deducimus. Sanè non opus est divinare, quid Augustinus senserit, clarè enim ille ad hunc locum *tract. 42. in Iohann.* infert: *In veritate non stetit. Ergo in veritate fuit, sed non stando cecidit.* Et *lib. XI. de Civitate Dei ad Marcellinum cap. 13.* asserit, licet non tantam beatitudinem, antequam laberentur, habuerint angeli desertores, habuisse tamen aliquam profectò credendum esse. Illam autem explicationem, quam Vasquez huic loco adhiberi posse censet, tanquam peregrinam recitat. Et *cap. 15.* post aliquot dicta Scripturæ prolata, ex quibus evidenter putat posse probari, angelos desertores in primo momento creationis non fuisse lapsos, addit: *Quæ si aliter convenienter intelligi nequeunt, oportet etiam illud, quod dictum est, in veritate non stetit, sic accipiamus, quod in veritate fuerit, sed non permanserit.* Irenæus non 22. sed 19. & 20. capp. tractat hunc locum, & mentiendi libidinem in Diabolo à Christo notari indicat, sed non propterea existimat, per veritatem duntaxat veracitatem à Christo designari. Neq; enim opus est, ut persuaderi nobis patiamur, Irenæum, quia h. l. ad prolapsum à veritate ad mendacij amorem in Diabolo probandum accommodat, statuisse, veritatem, in qua Diabolus non stetit, nihil amplius fuisse, quam veracitatem. Imò validius concludit, si veritas ita, ut interpretati sumus, accipiatur: Qui enim turpi apostasia intellectum volun-

Et Irenæus.

permanferit. Irenæus non 22. sed 19. & 20. capp. tractat hunc locum, & mentiendi libidinem in Diabolo à Christo notari indicat, sed non propterea existimat, per veritatem duntaxat veracitatem à Christo designari. Neq; enim opus est, ut persuaderi nobis patiamur, Irenæum, quia h. l. ad prolapsum à veritate ad mendacij amorem in Diabolo probandum accommodat, statuisse, veritatem, in qua Diabolus non stetit, nihil amplius fuisse, quam veracitatem. Imò validius concludit, si veritas ita, ut interpretati sumus, accipiatur: Qui enim turpi apostasia intellectum volun-

volun-

voluntatemque à Deo avellit, cui per veritatem sapientiæ justitiæq; antea conjunctus fuit, is ut alia vitia quam fœdissima contraxit, ita mentiendi libidinem sine dubio attraxit. Verba Irenæi sunt. *Deus quidem verax, serpens autem mendax ostensus est & homicida, sicut Dominus ait de eo, quoniam ab initio homicida est & in veritate non stetit. Sicut ergò in principio mentitus est, ita & in fine mentiebatur &c.* Chrysostomus *hom. 1. de lapsu primi hominis* Et Chryso-
 non indicat, se exponere hunc locum. Ita enim ait: *Callidus ser- stomus.*
pertina cogitatione Diabolus in specie serpentis assumens mendacium, quia semper & ab initio mendax fuit, ad fragilem sexum, rudem & incautum, dicens ei, &c. Demus verò, eum ad hunc locum respexisse, non tamen probabitur, eum per veritatem duntaxat veracitatem intellexisse. Qui per veritatem omnem perfectionem rationalem primo statui proportionatam intelligit, ea amissâ proclivitatem in mentiendo facile in eo, qui amisit, colligere potest. Inde idem Chrysost. *hom. 53. in Ioh.* ubi ex professo *h. l.* exponit: *ἐν τῇ ἀληθείᾳ ἔχ' ἔσκηκε, τετέστιν, ἐν τῷ ὀρθῷ βίῳ*: intelligens universam vitæ rectitudinem, in quam collocatus erat à Deo diabolus. Epiphanius *heresi 38.* quæ est Cajanorum aliud subjectum substituit; non intelligit infernales angelos & aliquem ex istis principem, sed proditorem Judam. *Ipse, inquit, Dominus statim dixit, in omnibus nostris curam habens, ut ne à proposito digrediamur, alia pro aliis excogitantes ac commiscentes, patrem ipsorum esse diabolum, ad discipulos loquens: nonne duodecim vos elegi? & unus ex vobis diabolus est. Non diabolus dicens natura sed mente. Rursus autem in alio loco dicit: Pater Domine cœli & terræ, serva hos, quos dedisti mihi: quando eram cum ipsis, servavi ipsos & nullus ex ipsis perijt, nisi filius perditionis. Rursus alibi dicit: Oportet filium hominis tradi, juxta id, quod scriptum est de ipso: væ autem per quem tradetur: expediret enim ipsi, si nunquam natus esset. Proinde omnino novimus, quod de Iuda locutus est ad Iudæos. Nam à quo quis superatus est, ab eo etiam in servitutem redactus est. Et cui quis credit, hunc patrem habet ac principem & ducem suæ persuasionis. Dicit igitur Dominus; Vos filij patris vestris Diaboli estis. Nam pro Christo Iudæ crediderunt, quemadmodum ab initio Eva declinans serpenti credidit. Deinde quod non solum mendax erat, sed etiam fur, juxta id,*



Et Theophylactus.

§. II.

quod in Evangelio dictum est: quapropter etiam ipsi tradidit marsupium, ut inexcusabilis esset, qui propter avaritiam proprium Dominum tradidit in manus hominum. Quis igitur huius pater, qui ante ipsum mendax erat, quam Cain, cuius imitator est &c. Eandem explicationem Epiphanius copiosè repetit *heresi 40. contra Archonticos*. Consistere autem explicatio illa propterea nequit, quia Judas eo tempore sese nondum ducem & parentem consilij interfectionis præbuerat: quia Diabolus dicitur homicida ab initio simpliciter, Judas autem tum homicidio aut proditioni nondum se commodaverat &c. Apud Theophylactum etiam non opus esse putamus, ut licet à veritate ad mendacium descendat, per veritatem præcisè veracitatem intelligamus. Status enim ille perfectionis, in quo creatum dicimus diabolum, & mendacio & cuius alij vitio opponitur. Sic & huic Judæorum pravitati Christus interprete Theophylacto v. 40. opponit veritatem suam, quod æqualis sit Patri.

Ad rationes Vasquezij plana jam ex dictis est responsio. Prima ita se habet: *quod in Iudæis defuit, in eo Satanas non stetit. Atqui non veritas illa primigenia sanctitatis, sed veritas in dicendo, quam vocant, in Iudæis defuit, & velut deficiens à Christo reprehenditur.* Fatemur autem, in eo etiam Satanam non stetisse, quod Iudæis defuit. Sed in eo solo Satanam dici non stetisse, cum non stetisse in veritate dicitur, cuius defectus in Iudæis arguitur, id ut concedamus necesse non est. Nimirum Christus abyssum malitiæ in Diabolo indicat, cum dicit ipsum in veritate non stetisse. Unde mirandum non sit, libidinem mentiendi Judæos ex scelerata cum Diabolo communiione hausisse. Ad primum autem illud mendacium, quo hominibus imposuit, referre illa verba Salvatoris, quibus dixit, Diabolum in veritate non stetisse, non est necessarium. Licet enim verba illa *ἀπὸ ἀρχῆς* fortassis haud incommodè *ἀπὸ κοινῆ* ad sequentia etiam extendi possint, magis tamen ad *ἀνθρώπων ἔργον*, cui subiunguntur, pertinent. Sed et si extenduntur, non ad momentum illud, quo infusurrato primis parentibus mendacio hominum generi mors illata est, solummodò restringi poterunt. Notant enim interdum cum aliqua latitudine, id, quod in primordiis huius mundi fuit. Matth. 19, 4.

Esset

Esset ergo ἀνάστασις in verbis Christi: Diabolus homicida fuit ab initio; imò altius adscendendo, non aliis duntaxat obfuit, sed & sibi, quando veritates cœlestis sapientiæ concreatas destruxit & statum felicitatis perdidit. Et illa valde accommodata est ad atrocitatem peccati Judæorum detegendam. Altera ratio à particulari concludit. Ordinaria & usitata significatio verbi stare perseverantiam habet. Eam huic loco & scopo Christi accommodatissimam esse, supra indicavimus. Judæis Christus non solum mentiendi calumniandiq; libidinem, sed & apostasiam à sancta cum Abrahamo necessitudine obiicit. Vtriusque in Diabolo vestigia eos secutos, qui & mendax & latro & apostata sit. Sed & testimonia Vasquez nobis non adversantur. Univerſa etiam perseverantiam designant.

Vasquezio in huius dicti explicatione aliquatenus succedaneus est Hier. Zanchius de Oper. VI. dierum lib. 4. cap. 2. n. 3. ubi per veritatem non sanctitatem concreatam, sed reuelatam intelligit. Refero, inquit, hic quandam sententiam, qua mihi probabilis admodum videtur & consentiens cum omnibus illis locis, qui adferri solent de peccato angelorum; præsertim cum illo Christi loco Joh. 8. Et que tum illorum superbiam ac rebellionem, tum invidiam complectitur. Ea hæc est: Dubium non est, quin quod postea toti mundo patefactum est de Christo mysterium, illud decreverit & stabiliverit Deus suo æterno consilio, ac proinde quin illud veritas fuerit æterna atque certissima & immutabilis. Est autem hæc huiusce veritatis summa, nempe Filium debuisse non angelos assumere, sed semen Abrahæ & factum hominem fieri caput, qua etiam homo est, omnium quoque angelorum, totamq; hanc naturam supra omnes angelos exaltandam fuisse; & neminem tam angelorum quam hominum futurū beatum, nisi per gratiam Christi & propter Christum, ita ut omnia bona à Christo essent expectanda. Hæc est summa eaque ex sacris literis hausta. Est verò probabile & consentaneum veritati, quanquam non totum mysterium Christi, summam tamen hanc veritatem fuisse de principio ipsis angelis propositam ac reuelatam. Adde jam & compone syllogismum: Quæcunque nunc & ab initio mundi detestantur & damnant & persequuntur tam per tyrannos quam per hereticos mali angeli, eadem rejecta & damnata fuisse ab iisdem, jam inde ab initio, h. e. simul ac patefacta illis fuerunt, credendum est: Ac de quibus

bella

§. 12.

Zanchij
sententia
de loco Joh.
8. 44.

bella nanc sunt inter malos & bonos angelos, de iisdem fuisse inter eosdem ab initio non dissimiles pugnas, vero simile valdeq; probabile est. Atqui constat ab exordio mundi in finem usque ejusdem Satanam & omnes ejus angelos hoc semper odisse, & ut etiam, ne à nobis credatur, curasse & curare, nempe hanc humanam carnem à Filio Dei assumptam fuisse in unitatem personæ, ita ut idem sit homo & Deus, eoq; Jesum Christum sua natura majorem esse angelis & æqualem Patri, cum purus sit (ut conantur persuadere) homo. Ac si qui persuasi fuerunt, Christum verum esse filium Dei Deum, conati sunt semper diaboli persuadere, eum non esse verum hominem, ac proinde verum Immanuelem, nec esse eò honoris evectum, ut supra angelos sedeat. Item hoc quoque mendacium esse contendunt, neminem ne angelos quidem beatos esse posse sine hoc Christo: imò quemq; posse suis viribus suisq; operibus, modo velit, vitam assequi æternam. Quis nesciat, hanc veritatis summam semper fuisse in odio ipsi Satana & Angelis ejus? Quis ignoret propter hanc veritatem semper pugnatum fuisse & adhuc pugnari inter electos, membra Christi, & reprobos, membra Satanae? Quidni igitur dicamus & affirmemus, jam inde ab initio mundi angelos reprobos hanc semper odisse veritatem & in illa acquiescere noluisse, quamquam fuerit illis à Deo proposita, tanquam ad salutem cujusq; necessaria. Ut vero Zanchius thesin suam confirmet, addit: Thesis hæc duabus rationibus confirmatur; Primum quidem à perpetuo studio, quo Diabolus jam inde ab initio mundi conatus est suis de Christo mendacijs, h. e. hæresibus, aut contra ejus Deitatem, aut contra ejus humanitatem, aut contra ejusdem officium sparsis, hanc Evangelij veritatem è mundo penitus tollere. In hoc enim semper incubuit & incumbit Satan à condito orbe, tanquam Christi & salutis dignitatisque nostræ perpetuus hostis. Est igitur manifestum, à condito orbe hanc Evangelij veritatem illi quidem perspectam, non tamen gratam, sed in summo fuisse odio. Nisi enim perspectam habuisset, quomodo potuisset eam oppugnare? Ac si non odisset, quomodo voluisset persequi? Quare verisimile & valde probabile est, hoc fuisse primum Angeli peccatum, quod in veritate hac sibi à Deo proposita & probè à se intellecta, persistere, nempe consensione & voluntate, h. e. acquiescere noluit ipse & suis porro semper mendacijs conatus est alios quoque seducere, & ne huic veritati assentirentur, persuadere. Altera ratio ducta fuit ab antithesi, qua usus est Dn. Iesus Ioh. 8. inter veritatem, in qua non perstitit Diabolus, & inter mendacium.

Mendacium

dacium igitur, quod loquitur Satan, opponitur veritati, in qua non stetit. Atqui præcipuum mendacium, quod Satan jam inde à condito orbe locutus est, sparsit & spargit, sunt hæreses cum Evangelij doctrina pugnantes. Veritas igitur, in qua dicitur non perstitisse, sed quam potius semper oppugnavit, est veritas Evangelij de Christo Deo & homine, veroque & unico mundi Servatore, de quo eius gratia omnibus etiam Angelis ad firmam beatitudinem necessaria. Confirmatur hæc ratio à qualitate peccati, de quo Christus accusavit Iudeos Ioh. 8. & duius causa dixit Diabolum esse ipsorum Patrem, eosque velle imitari opera Patris sui. Hoc illorum peccatum fuit, non solum, quod vellent occidere innocentem hominem, nempe Iesum, sed quod inprimis non vellent acquiescere veritati, quam ipse prædicabat. Hoc enim peccatum causa etiam fuit alterius peccati, nempe quo cogitabant Christum occidere. Hinc satis apertè colligitur, peccatum Diaboli hoc fuisse, cum dicitur non perstitisse in veritate, nempe quod veritatem Evangelij à se intellectam & cognitam amplecti noluit, sed odit, ac sciens & volens suis mendacijs evertere eam conatus est semper. Confirmo hæc eandem thesin à causa, cur resipiscere amplius non possit Satan, nec servari. Quidam causam hæc ducunt à natura Angeli; sed ego præcipuam eam esse iudico, quam de alijs quoque reprobis tradit Ap. ad Hebr. 6. peccatum sc. in Spiritum S. quod est cum quis veritatem Evangelij à se cognitam sciens ac volens improbat & damnat ex animo. Hoc enim peccatum secum fert impœnitentiam. Cum igitur in confesso sit, Diabolum non posse resipiscere, nec posse servari amplius, quid aliud inde colligere licet, nisi eum tale peccatum admisisse, quale describitur ab Apostolo, ac proinde hoc fuisse illius peccatum, quod in veritate Evangelij acquiescere noluerit. hæc Zanchius.

Hauustus est verò iste Zanchij discursus, quem sequitur §. 13.
Bucanus L. C. l. 7. q. 4. ex scholasticorum lacunis, qui censuerunt, Angelum apostatam peccasse appetitu unionis hypostaticæ, quo desideravit suam naturam personæ divinæ uniri, simulque invidia unionis humanæ naturæ cum verbo deliquisse. Tradit hæc sententiam Ambr. Catherinus in opusc. de gloria bonorum angelorum & lapsu malorum, & in illud Gen. 3. Serpens callidior erat &c. Afferit etiam Jacobus de Valentia in Ps. 82. Joh. Viguerius Granatensis in Inst. Theol. cap. 3. §. 2. versic. 15. Jacobus Naclantus Com. in Epist. ad Eph. Quod ex invidia unionis hypostaticæ humanæ natu-

Scholasticorum sententia de obiecto lapsus angelorum malorum.

N

ræ cum

ræ cum verbo Satanas lapsus, censet etiam Alexander Ales. *part. 3. Summa, quest. 2. membr. 13.* & Dionysius Carthus. *in 2. sent. dist. 5. q. 1.* Guil. Parisiensis *lib. de Universo 1. 2. à c. 106. usq. ad cap. 110.* Qui quidem Bernardum Claravall. sibi Patronum adducere solent *è serm. 17. in Cantic.* faciunt autem illi injuriam, quia nihil de unione hypostatica ibi memorat. Ita per conjecturam magis, quam per sententiam loquitur. *Putas ne lucifer, qui mane oriebatur, sed præproperè elevabatur, antequam verteretur in tenebras, generi nostro inviderit? & ipse olei effusionem ut per seipsum jam tunc indignabundus mussitaret, dicens intra se quodammodo, ut quid perditio hæc? Hoc ego non assero dicere spiritum, sed nec contradicere dico. Nescio enim. Potuit autem contingere, si tamen incredibile non putetur, plerumque sapientia & perfectam decore homines præscire potuisse futuros & profecturos in pari gloria. Sed si præscivit, in Dei verbo absque dubio vidit & in livore suo invidit & molitus est habere subiectos, socios dignatus. Infirmiores, inquit, sunt inferioresq. natura: non decet esse concives, nec equales in gloria.*

§. 14.

Zanchius
refutatur.

Cæterum Zanchij illa opinio nullo se fundamento tuetur. Non enim probat, tum, cum laberentur è perfectione sua, angelis notam fuisse illam summam & ineffabilem veritatem de Filio Dei incarnando & angelorū hominumq. salutem operaturo. Illud vix negabit Zanchius, quod communis habet opinio, Angelos lapsos esse ante conditum genus humanum. Saltem ante lapsum, ad quem induxerunt genus humanum apostatæ jam facti angeli. Id etiam passim jam receptum est etiam in schola Zanchij, Filiū Dei non fuisse incarnandū, nisi illud peccasset. Sed & sacrae literæ docent, post lapsum Capiti generis nostri demum semen mulieris à filio Dei assumendum revelatum esse. Si dixerit, illam revelationem hominibus tum primum fuisse communicatam, unde probabit, angelis prius illud mysterium fuisse patefactum? si angelis manifestata fuisset τὸ λόγος incarnatio & ruina generis humani & statim in odium illius mysterij lapsi essent apostatæ angeli, cur in ruinam generis humani conspirassent, per quam veritatem exosam in effectum deductam iri ex revelatione didicerunt? Itaque ad compositum à Zanchio syllogismum ut respondeamus, limitamus majorem; *Quæcumq. nunc*
& ab

& ab initio mundi detestantur & damnant & persequuntur tam per ty-
rannos quam per hereticos mali angeli, ea & in initio ab iisdem damna-
ta & rejecta fuerunt, sed eo, quo ipsis revelata fuerunt. Neq; enim
initium revelationis cum initio mundi confundendum est. Nec
certum est, imò hoc ipsum in controversia est, initium ruinae po-
sterius ordine esse illo initio revelationis de missione Filii Dei
facta. Id autem fatemur, illico atque veritas cœlestis de Media-
tore in mundo patuit, Satanæ contra eam efferbuisse rabiem.
Sed & ista veritas non est, quam nec impugnare potuit Satan, ne-
minem tam angelorum quam hominum futurum beatum, nisi
per gratiam Christi & propter Christum, seu ut Bucanus L. C. p.
72. loquitur, Et angelos opus habuisse Mediatore, non quidem
redemptionis à peccato sed præservationis & recapitulationis,
Eph. 1, 10. Docet hoc Dan. Chamier Panstrat. Cathol. Tomo III.
lib. V. c. 9. n. 11. 12. 13. 14. 15. In primis num. 16. inquit. Possunt
altius: Non enim Angelorum Mediator est Christus. Augustinus testis in
expos. cap. 3. ad Galatas. Angeli, qui non lapsi sunt à conspectu
Dei, Mediatore non opus habent, per quem reconcilientur. Atq;
eam ob causam Enchir. c. 61. negat, eundem mortuum esse pro an-
gelis, ut & Thomas & Bellarminus ipse de Christo lib. 1. cap. 8. asserit,
non tantum Angelorum negans Christum Mediatorem, sed etiam Adami
ante lapsum. Quod & August. docet Enchiridij c. 108. Cum factus est
Adam, inquit, homo sc. rectus, mediatore non opus erat. Qua
de re vide uberius differentem D. nostrum Feurborn. T. 7. disp.
Giss. 13. §. 165. & seq. Porro inter rationes thesi 4. propositas pri-
ma planè concidit cum illo composito, quem jam refutavimus,
sylogismo. Circa quod nunc semper labitur & peccat Satan, in eo ab
initio non stetit; ab initio sc. revelationis & sufficientis propo-
sitionis probæque, ut ait Zanchius, intellectionis; At nunc sem-
per labitur circa veritatem Evangelij. Quanquam non tantum.
Circa multas etiam alias veritates labitur, quæ cum illa necessi-
tate perpetua non cohæserunt semper. Ab initio ergo revela-
tionis etiam huius veritatis contra eam lapsus fuit & sæviit. Pro-
bandum verò, illud cum lapsus angelorum initio unum esse. Al-
tera ratio ab opposito petita similiter non probat id, quod pro-
bandum est. Mendacium, quod hodie loquitur Satan, opponitur illi

veritati, in qua non stetit. Nimirum, vel formaliter & expressè; vel in virtute principij alicuius. Veritas sanctitatis & justitiæ angelis concreatæ respuebat omne id, quod unquam & uspiam veritati archetypæ adversaturum erat. Qui itaque ab illa veritate excidit, ille se hoc ipso hostem profitetur veritatis archetypæ & revelationum, sive jam factæ sint, sive aliquando faciendæ. Sic itaque Satanæ intellectus habitualiter averfus fuit à veritate, cui se in progressu revelationum factarum actualiter opponit. Causa, cur resipiscere non amplius possit Satan, est in justo Dei judicio. 2. Pet. 2, 4. Jud. 6. itaque illa coniectura, quod commiserit peccatum in Spiritum S. veritatem Evangelij à se agnitam scienter & volenter improbando & damnando, figmentum est. Neq; enim initio lapsus eius ipsi ea veritas fuit proposita, neque si proposita fuisset, pro ipso fuisset, aut ad ipsum pertinuisset. Scholasticos veteres & recentiores ex ordine decretorum divinorum impugnantem vide Vasquez T. 2. in I. Thom. disp. 233. Et contra Ascanium Martinengum, Franciscum Suarez, P. Granadum idem agit Rodericus de Arriaga in I. Tom. 2. disp. 24. q. 5.

§. 15.

Nunc ex illa accusatione Salvatoris propositum divinum elucescit. *Quem enim consubstantialis Deo Patri veritas accusat, quod in veritate concreata sanctitatis & justitiæ non steterit, et ipsa veritatem in qua perseverare poterat communicavit, de eius perseverantia in veritate quoque propositum habuit.* Quia enim veritatem illam non aliunde, quam ab archetypa veritate habere potuit, si non habuit is, qui accusatur, veritatem sua natura durabilem & eo quoq; animo ab archetypa veritate communicatam, quo prætextu accusabitur ab archetypa & consubstantiali Deo Patri veritate? Cui enim ex intentione dantis Dei non est communicata veritas stabilis, seu quæ perseverare posset, quomodo is accusari potest, si in veritate non stetit? si ipsa veritas ita comparata non est, ut durare ex intentione dantis Dei debuerit? *At Diabolum cum apostatis angelis Iesus Christus consubstantialis Deo Patri veritas accusat, quod in veritate concreata sanctitatis & justitiæ non steterit, ut ex hæcenus deductis liquet.* E. Iesus Christus consubstantialis Deo Patri veritas Diabolo cum apostatis angelis veritatem, in qua perseverare poterant, communicavit, & de eius perseverantia in veritate

tate

tate propositum habuit. Agnovit hanc conclusionem, cuius verba supra laudavimus, Henr. Bullingerus: *Deus diabolo, inquit, vires perseverandi si voluisset, contulerat Nam stare potuisset, si modo voluisset.* Quæ verba etiam repetit Marloratus in *expof. Cathol. h. l.* Confer alios supra commemoratos. Quibus subscribit And. Hyperius in *Methodo theolog. lib. 2. p. 281.* dum ait: *Liberrimam fuisse omnibus angelis voluntatem, potuisseq; eos per eam aut deficere à proposito veritate, aut in hac persistere, ostendimus.*

Secundum est ex Judæ vers. 6. ubi ἄγγελοι dicuntur μὴ τήσαντες τὴν ἑαυτῶν ἀρχὴν, ἀλλὰ ἀπολίποντες τὸ ἴδιον οἰκητήριον. Vbi notamus I. per angelos non intelligi principes populi Israelitici, qui in deserto ceciderunt, nec assecuti sunt portionem suam hereditariam. Vasquez l. c. commemorat, nonnullos recentiores ita censuisse: fortasse quia si de lapsu angelorum tanquam spirituum h. l. fermocinari voluisset, angelicam ruinam tanquam omnium primam & gravissimam præposuisset Apostolus exemplis judicij divini: quia v. 6. per particulam τε videtur connecti cum v. 5. Ait enim Apostolus, ἀγγέλοις τε &c. quia videtur esse oppositio inter λαὸν & ἀγγέλους h. e. legatos & duces τῆς λαῶ. quia illi principes non contenti vocatione divina revera amiserunt suum principatum, dum non servaverunt leges principatus sui, & dum resistere in Ægyptum voluerunt, domicilium suum tot seculis antea promissum deseruerunt: quia v. 7. dicitur, quod Deus Sodomam, Gomorrhā finitimasq; civitates, quæ ὁμοίον τέτοις sc. principibus populi Israelitici v. 6. propositis, imò & ipsi populo Israel v. 5. scortatæ fuerunt, &c. pariter in exemplar vindictæ æternæ oculis nostris obversari velit. Sed malè! Nam comuni antiquitatis consensu intelliguntur spiritus, qui à Deo desciverunt, qui nititur in victa S. Petri attestazione 2. ep. c. 2, 4. qui sumto à ruina angelorum initio ad mundum antediluvianum progreditur & everfionem Sodomorum & Gomorrhorum. Nec vocabulum ἀγγέλων absolutè positum aliud permittit. Quod autem Judas inter Israelitas in deserto perditos & Sodomitas Gomorrhæosq; everfos collocat angelos, ad libertatem scriptonis divinitus gubernatæ pertinet, quæ non serie, sed re ipsa pugnat & commovet. Particula τε textus continuationi subservit,

§. 16.

Locus Iud.
Vers. 6. expenditur.

N 3

nec

nec ultra quicquam operatur. Oppositio fingitur. Sub λαῶν, quem Dominus Jesus ex Ægypto servatum eduxit, omnes Israelitæ adedque etiam primores principesque comprehenduntur, quos Deus justo iudicio perdidit. Sed & peccatum principum Israeliticorum aliud fuit, quam quod suum principatum deseruerunt. Neque explicari commodè potest, quomodo τὸ ἴδιον οὐκ ἠθέλοντες reliquerint principes illi? Deniq; τὸ ἴδιον αὐτοῖς ἔσπον ad Sodomitas & Gomorrhæos respicit. Describuntur sc. illæ civitates, quæ eo planè scelerum genere sese contaminaverunt, quo ipsi Sodomitæ & Gomorrhæi. Ne omnes finitimas civitates designasse Apostolum quis existimet.

§. 17.

Notamus II. per ἀρχῶν, quam angeli illi non observaverunt aut conservaverunt, non intelligi duntaxat initium, sed perfectionem principio creationis ipsis communicatam. Neque enim exaggerationi, quam hoc loco facit S. Judas, satis est, si de initio creationis præcisè accipiatur. Hinc vulgatus reddit, principatum. Syrus habet רישנותהון, Eduard. Pekoke vertit primatum suum. Nimirum ea ἀρχὴ h. l. intelligitur, à qua Sancti etiam angeli vocantur ἀρχαὶ Eph. 2, 21. Col. 1, 16. cuius respectu etiamnum apostatæ angeli vocantur ἀρχαὶ 1. Cor. 15, 24. Eph. 6, 12. Neque opus esse, ut peculiarem S. angelorum ordinem intelligamus, in *dis. de Cherubinis, quæ inter singul. Angelica* tertia est, monstravimus. Neque satis dicit Lorinus *Comm. h. l. p. 343.* qui intelligit principatum, quem habituri fuissent in administratione mundi. Ita quidem Græcos Patres philosophari supra ex Damasceno didicimus, quod ex iis virtutibus angelicis ea, quæ præerat terrestri ordini & cui à Deo terræ custodia commissæ erat, mala facta fuerit. Sed hoc nullo argumento sanctarum literarum roboratur. Quod enim Eph. 6, 12. ἀρχαὶ dicuntur κοσμοκράτορες ἔσονται τῶν αἰώνων ἡμετέρας, non hoc sensu accipiendum est, quasi illæ ipsæ ἀρχαὶ ex institutione divina excitatæ & conditæ fuerint ad κοσμοκρατορίαν. Indicat enim Apostolus, quod exponit loco supra nominato sermone 17. in Cant. Bernardus: *Accepit Sathan regnum super omnes filios superbia, factus princeps tenebrarum harum, ut regno humilitatis etiam superbia militet, dum in uno suo principatu temporalis & tali multos humiles excelsos æternosq; Reges, constituit.* Anselm.

Anselmus Laudunensis in glossa interlin. de principatu in alios angelos intelligit ἀρχῶν, quem sequitur Thomas Anglicus. Sed nec ista sententia suam è vero principio deducit certitudinem. Oecumenius, quem cum nominamus, Græcos Patres, quorum sententias compendio collegit, nominamus, intelligit angelicæ dignitatis præstantiam cœlestemq; vitam Dei benignitate datam, sed à malis neglectam ac reprobam. Cyrillus Alexandr. contra Iulian. Apost. lib. IV. *Plurimi erant olim inter sanctos Angelos & supernorum spirituum choros numerati, qui beatam & sanctam vivebant vitam, sed ut sacra scriptura dicit, non servabant suum principatum & valedicebant divino consortio ad deteriora prolapsi. Etiam miseri hanc suam provinciam arbitrati sunt, ut ad hoc, ne Deo Patri subiecti essemus, inhortarentur, asperi & superbi, à sanctorum multitudine separati, & terrebant homines, avertentes illos ab omni virtute &c.*

Notamus III. τὸ ἴδιον οἰκὸνῆσιον designare beatissimam felicissimamq; mansionem gloriæ, in qua angeli primum collocati sunt. Glossa Interl. & alij cœlestem habitationem, in qua spiritualis Dei visio, vocant. Oecumenius cœleste vitæ institutum. Arabs ordinem seu constitutum officium suum vocat. Pleriq; Pontificij cœlum empyreum intelligunt: quod esse prius ostendendū est, quam esse hoc οἰκὸνῆσιον asseratur. *Qua de re egimus dissert. 6. Anti-Cogentiana §. 7. & seqq.* Ineptè Henricus Lancelotus Augustinianus Comm. in h. l. pro cœlo empyreo philosophatur: Cum, inquit, decrevisset eos Deus toti natura corporali præficere, æquum erat, ut in supremo corpore tanquam nobilissimo loco sibiq; maximè proportionato conderentur, hoc autem est cœlum empyreum. Demus enim esse cœlum empyreum, demus eosdem angelos præfecturæ totius creaturæ corporalis destinatos esse, quod utrumque nondum satis explicatum est, ecquomodo in cœlo empyreo ceu domicilio proportionatissimo eosdem condi oportuit? Syrus h. l. habet אָוִרָה, quod habitaculum, mansionem denotat. Johannes c. 14, 2. μὴ δὲς vocat. LXX. vocabulum οἰκὸνῆσιον habent, ubi Hebr. est מֵעוֹן Jer. 25, 30. Dominus de excelsis rugiet & de habitaculo suo sancto קָדְשׁוֹ דַבַּר מֵעוֹן dabit vocem suam. 1. Paral. 30, 27. est apud LXX. vox ἁγιοκνηθῆσις, ubi in fontibus est ΠΥΜ & ipse thronus Dei intelli-

§. 18.

telligitur. *Pervenit oratio illorum in habitaculum sanctum illius, in caelum.* Deut. 26, 15. est apud LXX. pro ista radice κατοικησις. *Prospice ex habitaculo sanctitatis tuae à caelis.* Psalm. 68, 6. LXX. habent τόπον ἄγιον θεῶν, ubi Symmachus habet ἡγιασμένον κατοικητήριον. Aquila βασιλεία ἄγια. Vt igitur οἰκηθήριον & κατοικηθήριον Deo tributum notat lucem quam Deus inhabitat & gloriae infinitae conditionem, sic etiam cum angelis attribuitur, angelicam lucem gloriamque designat. Theodoretus *serm. 3. de angelis seu Diis & demonibus malis.* Cum, inquit, *datis sibi muneribus contenti non essent, sed altiora quoque appetere, contraxisse labem superbiae illos dicimus, ita ut ea quoque dignitate casu prorsus exciderint, quae honestati ab initio fuerant.*

§. 19.

Nunc sic ex h. l. concludimus. *Quos conditor sapientissimus, Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός, μόνος δεσπότης θεός, collocavit in ἀρχῇ servandam & in οἰκηθήριον non deserendum, illos ea intentione eoque proposito condidit, ut perseverarent datis ad id auxilijs sufficientibus.* Repugnaret enim sibi ipsi Opt. Max. conditor, si in ἀρχῇ servandam & domicilium non deserendum aliquos collocaret, & tamen nollet seridè & antecedente quadam voluntatis suae determinatione eosdem datis ad id sufficientibus auxilijs perseverare. Rursus; quos idè vinculis aeternis sub caligine ad diem magni iudicij Deus servat, quia ipsi non servarunt suum principatum & deseruerunt suum domicilium, istos omnino efficaci proposito voluit perseverare in domicilio & principatu. Cur enim puniret caligine vinculisque horrendissimis ob desertionem status, in quo noluit ipsos perseverare? Cur plecteret, ob non servatum principatum, qui noluit eos in principatu servare? *Atqui solus verus, Deus & Dominus noster Iesus Christus, conditor sapientissimus, angelos collocavit in ἀρχῇ servandam & in οἰκηθήριον non deserendum.* Reprehenduntur enim, quod fuerint μὴ τηρήσαντες τὸ ἐαυτῶν ἀρχῇ, ἀλλὰ ἀπολίποντες τὸ ἴδιον οἰκηθήριον. E. Angelos etiam lapsos ea intentione eoque proposito condidit, ut in principatu domicilioque suo datis ad id sufficientibus auxilijs perseverarent. Henr. Bullinger h. l. ita vim argumenti Apostolici enucleat: *Non profuit angelis, quod conditi, adeoque divinae naturae essent facti consortes. Vbi enim felicissimam suam naturam mutassent in pravitatem, neque persistissent*

tissent in sua conditione, cœlo deturbati sunt ad inferos, ubi detinentur in vinculis ad ultimum illud iudicium usque, in quo aeternæ damnationis sententiam suscipient. Ita quidem nil proderit & nobis, quod optime condidit nos Dominus, quod per filium redemit, nisi in statione nostra & officio maneamus, facientes, quæ decent Dei filios. Calvinus h. l. dicit, sic ab angelis stationem, in qua collocati erant, desertam fuisse, sicut à militibus transfugis. Est autem serua voluntas Imperatoris, ut milites transfugientes in statione perseverent.

Quemadmodum autem angelicæ creaturæ productio non solum ex consilio propositoque Dei profluxit, sed etiam eorsum referendum est, quod per creationem in eum statum collocati sunt, in quo per impressa & concreata præcepta ad beatitudinem sempiternam gubernari debuerunt, adeòq; certò Deus sibi proposuit angelis universis hunc statum non duntaxat communicare, sed etiam determinata & perpetua continuare, nisi per prius angeli conditionis vinculum rupissent, ita etiam creatio hominis ex proposito divino ad hunc finem facta fuit, ut homo in imagine Dei concreata perseveraret & perennaret. Hoc patet EX IPSA RATIONE, qua ad imaginem suam Deus in Adamo condidit totum genus humanum. Quod autem ad imaginem Dei dicitur conditum, hoc ipsum cum proposito perseverantiæ & sufficientissimi ad eam concursus divini conditum intelligendum est. Nam imago Dei etiam vitam æternam intimè includit & in prima creatione incluserat: tum quia iustitia & sanctitas vera cum vita æterna indiviso nexu coherent, imago verò Dei in sanctitate & iustitia vera posita est: tum quia privatio imaginis Dei mortem æternam includit: unde positio eiusdem vitam æternam excludere nequit: tum quia vita quoque æterna per Christum nobis reparatur, quod verò per Christum nobis reparatur, in imagine Dei continebatur, fatente etiam Calvino *Inst. l. i. c. 15. s. 4.* quod plurimi etiam alij profitentur. Ursinus *part. I. expl. Catech. p. 36.* Bucanus *Instit. p. 99. &c.* Ad vitam verò æternam destinari in creatione non poterat genus hominum, nisi Deus propositum perseverantiæ (licet ordinatum) & sufficientissimi ad eam concursus divini circa idem habuisset. Nullo enim modo tolerari debet subterfugium Pesca-

O

toris,

§. 20.

Circa perfectionem hominibus communicatam & præcepto explicatam fuisse propositum continuatum.

toris, quo usus est in apologet. contra Cl. Antecessorem nostrum D. Taufreer. resp. ad syllog. membrum 2. scilicet, verbis illis ad imaginem non significari finem creationis, sed formam, non ad quid creaverit hominem, sed qualem, nimirum rectum. Zach. Ursinus l. c. p. elenchū oppositionis jam pridem annotavit. Est, inquit, imago Dei forma & finis diverso respectu. Nam & talem hominem Deus condidit, qui beatus & felix eum rectè agnosceret & celebraret, & in hunc finem condidit, ut ab eo deinceps in aeternum agnosceretur & celebraretur & ut se ei perpetuo communicaret. Conditus igitur est homo felix, rectè Deum agnoscens & celebrans: hæc fuit ipsius forma, quam in creatione accepit, & simul conditus est ad hoc, ut talis perpetuo maneret. Rectè igitur dicitur utrumque, & quod sit creatus talis, & quod sit creatus ad hoc, ut talis esset. Prius pertinet ad questionem qualis respectu principij, posterius ad questionem ad quid respectu perseverantiae. Sic ad Eph. 4, 24. iustitia & sanctitas vera, cum sint novi hominis forma, dicuntur eius finis. Neq; absurdum est, idem diverso respectu dici formam & finem. Quod enim est forma respectu creaturae, dicitur finis respectu intentionis creationis. hæc Ursinus. Consideremus autem, quando Piscator imaginē divinam formam creationis Adami vocat, an animo comunicandi universis posteris illam Adamo Deus concreaverit, an secus. Si hoc; ergò ob carentiam imaginis divinæ posteris Adami non damnantur. Carentia enim damnans eius est, quod cum debebat inesse, contra postulantis, ut in sit, voluntatem non inest: ergò non omnis homo in Adamo peccavit amittendo imaginem divinam; quod enim in Adamo omni homini finaliter non erat destinatum ex beneficio amplissimoq; divino proposito, circa id homo non peccat: Ergò falsum est, omnem hominē virtute ^{τοπωλοντα αοιου} seu primis parentibus data perfectionis respectu, creatum esse ^{εν αοδασεια} inextermabilem Sap. 2, 23. Itaq; necesse est dicere, animæ comunicandi universis divinam illam formam pulcherrimo imaginis Adami concreatam fuisse. Sed hanc materiam copiosè pertractavit Doctor noster ante laudatus Disp. apolog. 2. à θ. 1. ad 40.

§. 21.

Præceptum
Dei origi-
naliter cō-
cursum Dei
confert aut
offert.

Notamus III. collocationem creature rationalis in eum statum, in quo præceptis divinis sive cōcreatis sive promulgatis ad certū finem gubernaretur, esse cum determinatione sufficientis serijq; & planè proportionatū concursus divini, qui ex aeterno proposito dispensandus, nec antecedente divina

vina voluntate subtrahendus sit. Paucis: cum primum præcepit Deus creatura, aut dedit jam vires aut dare paratus est satis efficaces ad præcepti impletionem. Nam præceptum divinum universale est primò providentiæ divinæ & dispensationis rerum in mente divina factæ interpretatio. Ita enim Deus rerum seriem instituit & instituere sibi proposuit, ut pulcherrima est & sapientiæ suæ maximè consentanea. Ita pulcherrima est & sapientiæ æternæ cōgrua, ut præcepti idea complectitur. Itaq; præceptū cum ipso proposito ordinandi dandique vires ad præceptum coniunctum est. Deinde præceptum divinum universale creaturæ rationali datum, est mensura concursus divini dandi sperandique. Eousque creatura rationalis certissima potest esse de concursu divino proportionato dando, quousque limites præceptorum sese extendunt. Si enim Deus ultra primū instituisset præcipere & exigere à creatura rationali, quam admetiri vires proposuit, fecisset contra sapientiam suam. Aut enim vires ad pulchritudinem & harmoniam rerum sufficientes non dedisse dicendus esset, aut præcepta universæ creaturæ rationali iniunxisse, dissolutura ordinē rerum, dum ultra eum postulant. Necessè est igitur præcepta divina secundum originem suam & primigeniam expressionem supposuisse & promississe concursum divinum. Tertio quando certum aliquod actionum genus Deus aliquibus circumscripsit præceptis ab initio, aut illud actionum genus mandavit creaturæ rationali ab initio ut in se & simpliciter possibile, aut ut ipsi etiam creaturæ rationali isto mandato ligata possibile. Si prius, non obligavit ad illud genus actionum mandatum creaturam rationalem. Neq; enim quod mandatur ut possibile absolute, statim mandatur & obligationem parit huic aut illi generi creaturarum. Si posterius, aut intelligendum est illud mandatum supposita obligatione Dei ad concursum proportionatum, aut sine eiusmodi suppositione. Non hoc: quid enim præstabitur negato concursu divino? Ergò supponitur concursus divini obligatio. Habemus ergo propositum efficacis concursus divini cum revelatione præcepti eiusmodi universalis patefactum. Quarto liquet de factum ex hominum, tum ex angelorum in ordinem præceptorum divinorum collocatione. De his certum est, quod concreatis præceptis ad præstandam obœdientiam Deus concursum suum destinaverit

naverit efficaciter. Nam si habuit Deus propositum, ut *in veritate concreata*, sub qua etiam præceptum de sanctitatis & puritatis exercitio & de non affectanda autonomia & æqualitate cum Deo continebatur, *persisterent angeli*, qui prolapsi sunt, ut *servarent principatum suum* principatusq; leges, ut *novas sanctas legesq;* illis congruas nõ derelinquerent, habuit omnino etiam propositum concursum suum dispensandi, qui sustineret in veritatis, principatus, domiciliiq; legibus observandis. Prius supra à nobis evidum est. De hominibus itidem constat illa obligatio concursus divini. Et quidem de præceptis concretis sive in imaginis divinæ ambitu comprehensis, ex superioribus liquet. Nam si homo ad imaginem Dei creatus fuit *finaliter*, etiam cum concursus divini ad observantiam omnium præceptorum pollicitatione, destinatione & obligatione. De præceptis *post lapsum datis*, etiam demonstrari potest facile. Quando enim urget Deus legem in homine & ab homine eius observantiam strictam, tunc omninõ etiam concursum naturæ humanæ congruum & comensuratum præstat, ut homo legi observantiam præstare possit. Patet hoc ex consideratione angelorum lapsorum. Ab illis enim non efflagit obœdientiam, quia nulla gratia complexus est, quia omnem concursum & auxilia præstandæ legis intercidit. Hinc quando *ex uno sanguine omne genus hominum super universam faciem terra voluit dispergi, ut querat Deum & apprehendat*, sanè istud de completendo & quærendo Deo præceptum non est sine concursu divino, sed eundem intimè habet illigatũ, id quod & testatur S. Paulus Act. 17, 17. 21. cum ait, *non longè abesse ab unoquoq; homine Deum, omnes in ipso vivere, moveri & esse*. Nam verba illa non *nudam omnipresenciam Dei* designant, sed etiam *peculiarem Dei concursum, singularia auxilia* ad quærendum Deum destinata cœlitus. *Deum enim prope esse* non solam *adessenciam*, sed etiam *efficacem concursum* denotat. Quoniam verò impossibile est homini lapsò, positus ab initio divinitus ordinatis tantum auxiliis, legi satisfacere, & tamen vi creationis homo ad istam satisfactionem obligatur, adeoq; salva justitia sua Deus jus suum non potest non urgere, jam ex gratia Dei altioris ordinis concursus Dei ortus est, *de quo Rom. 8, 3.* Imò & promissiones Evangelicæ, quæ sub præcepti ratione ad
capes

capessenda cœlestia mysteria atq; beneficia invitant & compellant, omnibus, quibuscunque de illis acceptandis revelatio contingit, cum obligatione & efficaci insinuatione concursus divini proponuntur. Secus proponerentur illis, quibus denegatus concursus ad acceptationem satis efficax omnes acceptandi vires denegat.

Vnde fluit I. *quod voluntas divina præcipiens & exigens non sit nisi medium voluntatis divinae efficaci, discernentis, operantis.* Nimirum voluntas divina efficax, discernens, operans, cum præcepto seu voluntate Dei præcipiente atq; exigente intimè cõiungitur. Re ipsa una eademq; voluntas est. Præceptum explicat & quid Deus fieri velit & quid facere, si de ordinaria ratione præcepti loquamur. Exprimit igitur voluntatem Dei, quæ facit, h. e. efficacem & operantem. Itaq; præceptum necessariò cõnexum est cum voluntate Dei efficaci & operante. Sanè nisi præceptum Dei, plenè planèq; propositum, ad voluntatem Dei efficacem & operantem ordinatum est, ut medium ad eius gubernationem pertinens, cui sese cõnectit & ex ordinaria sua lege concursu proportionato attemperat, frustra planè erit præceptum. Fluit II. *quod voluntas præcipiens sit decretorum divinorum ectypus & expressio omnis iustitiæ Dei & dispositionis gratiosæ.* Præcepta Dei sanè in mente Dei archetypum præsupponunt. Sunt expressio ex libro quasi Dei, in quo ab æternitate consiliorum Dei extat descripta ratio. Non est igitur is archetypus alius, quam ex quo operationum divinarum promanat in tempore series. Quomodo enim decrevisset Deus alia idea præcipere, alia agere & cum agentibus inferioribus concurrere? Sanè hæc adversantur sapientiæ Dei, dicere, *Deum ab omni æternitate ideam præceptorum in tempore promulgandorum concepisse, & aliam ideam actionum suarum circa eos, quos præceptis informaturus est, ultra præceptorum seriem edendarum aut in illis eliciendarum.* Sanè quemadmodum sapientia cœlestis in tempore mandat creaturis irrationalibus & inanimatis, ita ab æterno se mandaturum decrevit, & actio mandantis in tempore fluit ex decreti de mandando sinu, nec ordinariè aliter agit atq; jubet agere; sic etiam in creaturis rationalibus præceptum in tempore est originaliter ex decreto æterno, & propositio præcepti, imò & propositio repetitio est promissio tacita concursus divini. Fluit III. *quod voluntas divina præcipiens, quo ad præcepta speciei*

§. 22.

O 3

crea-

creatura rationalis proposita, seria sit. Est enim, uti diximus, ex proposito divino circa speciē aliquam creaturæ rationalis. Est cum inclusione concursus divini sufficientis. Est medium voluntatis decernentis. Est decretorum divinorū ectypus. Etiam præcepta, quæ individuo alicui nonnunquam proponuntur aut proposita leguntur, eousq; seriam divinam voluntatē indicant & talem indicare existimanda sunt, quousq; non *per contrariam dispositionem* ita dilucidantur, ut intelligi possit, abrumpendam esse juxta ea operationem. Sic mandatum de imolando Isaac, quod Abrahamæ Deus dedit, eousq; obligabat Abrahamū & serium fuit, quousq; Deus actiones Abrahamæ non interrupit. Est sacrificatio *ex multis actionibus aggregatū opus*, in qua ab uno gradu ad alium circa victimam progreditur sacrificaturus, donec ultimam manū imponat. Cum igitur Deus præcipit sacrifice, serium illud præceptū esse intelligendum est. An autem in extraordinaria eiusmodi intimatione Deus totum consumi velit per omnes gradus, ea fide transcribendum est Deo, qua ad primū actum proceditur. Quamquam in universum alia sit ratio eiusmodi singulariū, extraordinariorū, & tentantium præceptorum, quam est præceptorū universaliū & ordinariorū, de quo suo loco agendi dabitur occasio.

§. 23.

Nunc facilis est differentia §. 1. & 2. propositæ, quam *inter voluntatem decernentem, efficacem, operantem & voluntatem præcipientem atq; exigentem* constituis, Triglandi, dijudicatio. Fatemur 1. *voluntatis divinæ præcepta* propriè sic dicta *duntaxat ad creaturas racionales pertinere*. Verum autem non est 2. *voluntatē divinam præcipientem non adhibere potentiam, sed tantū exigere & præcipere, velq; à creatura potentiam sibi divinitus inditam adhiberi*. Nam quoniam præcipientis divina voluntas simul aut actu dispensat, aut parata est dispensare concursum sufficientem ad præcepti præstationem, quomodo non adhiberet potentiam? Adde, ipsum verbum præcipientis voluntatis divinæ non destitui divina potentia. Hoc ipso verbum Dei à quovis alio distinguitur, quod verbum humanum obiectivè tantum intellectui & voluntati inferatur, verbum divinum præter obiectū etiam divinam vim, potentiamq; insuper adhibeat. De quo negotio alibi copiosè disputatum est. Itaq; defendi non debet, quod dicitur *voluntatem præcipientē & exigentem* velle

Part. 2. theol. Zach. f. 1. disp. 1. §. 31. Confid. Ant. 1. 2. & sing. disp. 1. §. 15. & seqq.

*velle à creatura potentiam inditã adhiberi, ut effectũ producat ipsa postu-
 latum.* Non ita, mi Triglandi, semper. Equidem in creatura ratio-
 nali integra *voluntas præcipiens requirit, ut potentiã sibi à Deo inditam
 adhibeat ad effectum postulatam* producendũ. Sed nec in ea *solam in-
 ditam potentiam requirit, sed & suam adhibet, quam ipso præcepto
 confirmat esse præsentissimam.* In creatura verò lapsa dum præ-
 cipit, requirit quidem integritatem, quam perdidit creatura suo
 vitio, sed non hic subsistit, verum urgendo præcepti rigorem il-
 luminat de amisso, comonefacit de debito, terret de promerito,
 cominuit, conterit, prosternit per legem, & huc sanè potentiam
 adhibet. Et hucusq; sapiens administratio præcepti à voluntate
 exigente propositi cum potentia divina adest. Sed & quando
 creaturæ mandata Evangelij exponit voluntas divina præcipiēs,
 fidem & pœnitentiam requirens, non sanè hoc agit, ut poten-
 tiam inditam adhibeat ad credendum & pœnitendum, quam nec
 habet, nec perdidit. Potius potentiam divinam adhibet, dum sic
 præcipit, & docet, quid facere ipse velit, non quid nos facere pos-
 simus. *Evangelium est potentia Dei ad credendum. Rom. 1, 16.* Itaq; cum
 isto concursus gratiofus divinus, qui vivificare, salvare, justifica-
 re, regenerare potest, concipiendus est. Periculosè errant, qui
 hic potentiam Dei submovent. Hic enim voluntas præcipiens à
 decernente, efficaci & operante dirimi non debet. 3. *Voluntas de-
 cernens libera est, potensq; creaturas pro sapientia dirigere, quomodo &
 quocunq; vult, sed si consideretur ante decretorũ divinorum æter-
 nam constitutionem, ex qua in tempore voluntas exigens, ordi-
 nans & mandans sese patefecit. Sic enim ex sumã libertate sese
 ad certum ordinem obligavit Deus. Ille refulget in præceptis &
 revelationibus. Licet enim interdum aliquid ultra hunc ordinem
 agat & addat, ad testificandã sapientiæ gratiæq; abyssum, semper
 tamen ad hunc ordinem respicit. Hinc sicut ex supposito productionis
 creaturarum rationalium & rationis, qua illas instruxit, necessario vult
 & postulat Deus ab illis obœdientiam, ita ille vicissim necessariò tenet
 creaturam in ordine requisitorum ad illam obœdientiam, ea
 qua valet potentia, nec ordinem solvit antegredientis absoluti
 decreti vi, sed sollicitato demum per creaturam nexu.* 4. *Falsum
 est, voluntati efficaci, decernenti & operanti non posse inesse displicentiam.*
 Equi-

*Conf. Bern-
 hard. serm.
 50. in Cant.*

Equidem ante decretū aliquem creandorū ordinē, sub possibilitate simplici varium constitui posse intellexit Deus rerū ordinē, in quorū uno hoc, altero aliud consequeretur; hoc modo autem ordinare decrevit, quia complacuit; non alio, quia displicuit. Sic sacrae literae loquuntur. Et in hoc rerum ordine, qui sanctissimus est, permittere aliqua placuit, quae displicent, quae efficaci & operanti Dei voluntati refragantur. Huius rei certissimum fundamentum, quia repugnat nonnullis voluntas praecipiens & exigens. Quod enim hac vetat, efficaci non facit, sed permittit, idque ideò, quia permittit, displicet. Sanè quibus improbante, comminante, puniente voluntate poenas decernit, ex displicentia, illis nequaquam ex complacencia erga peccata voluntate efficaci, decernente & operante eas irrogat. Nec perspicitur, quomodo *inobedientia non possit non esse ingrata, imò exosa Deo, quia infinitam eius laedit maiestatem*, nec tamen voluntas efficax, decernens & operans Dei aliqua contra eam feratur displicentia. 5. Falsum est, quod contra *conditionatam voluntatem in Deo* disputat. Sed haec infra singulari capite discutientur. Condicio neque incertum, neque dependentem facit Deum, qui est liberrimè ordinans. Nec momento temporis differt decretum conditionis, à praevisione eventus. Ordo incertitudinē aut dependentiam non parit, qui summus in summo ente & aeternitate est, ubi omnis incertitudo, omnis dependentia excluditur. Vide etiam, quae jam supra diximus p. 261 & 46. & seqq. Si voluntas praecipiens & exigens consideretur ut potentiam Dei habens conjunctam, sanè conditionem habet de efficacia futura posito certo patefactoq; rerum ordine. Quod *Deus novit qui sint obedaturi, qui non*: id quando ordinem actuum divinorū ex analogia fidei concipimus, non est concipiendum ante decretum de his rebus à creaturis rationalibus exigendis. Sic potius ordinat scriptura; Deus decrevit ab aeterno creare rationales creaturas sapientissimè; decrevit illis imperare, promittere, comminari; praevidet ab aeterno, qui imperio repugnent, qui resistent mediis & conditionibus. 6. Falsum est, *ex decreto voluntatis efficaci Deum nosse peccata futura*. Decretum enim de permittendo non est causa certitudinis existentiae peccati, sed ipsa infinitas divinae intellectus virtutis, ut suo loco disputabimus. 7. De *voluntate signi & beneplaciti* etiam capite peculiari tractabitur. 8. Ut iliter acceptamus, *voluntate efficaci, & operante Deum creaturis rationalibus praecepta, promissiones ac minas proponere*, ut ad effectum suum perducatur. Itaq; etiam cum voluntate exigente *humano modo* agit, divina potentia adest & non malitiosè resistentibus efficaciam coelestem dispensat & applicat. Est igitur ipsa voluntas efficax, decernens & operans, quae sub praecipis, exactionibus, mandatis, minis, promissis, invitationibus divino modo agit, nec ab illis, quantum ad attentionem Dei pertinet, separanda est. Sed hoc alibi plenius.


Vid. quae contra distinctionem inter voluntatem efficacem & improbantem, itemq; inter voluntatem efficacem & praecipientem inefficacemque disputat Macco vius Prof. Franckeranus Coll. Theol. I. disp. 5. & 8. de praedest. & Coll. II. p. 124. 125. contra Triglandium.

DE VO-

58333

X2587279

VD 17





B.I.G.

Farbkarte #13

Black
3/Color
White
Magenta
Red
Yellow
Green
Cyan
Blue

INTERPELLATIONIS
NECESSARIÆ

AD

Meditationes

JACOBI TRIGLANDII
DOCTORIS & PROFESSORIS
THEOL. LEYDENSIS

In

Opiniones Variorum

DE

VOLUNTATE DEI,
GRATIA VNIVERSALI
ET SCIENTIA MEDIA,
DISSERTATIO SECUNDA

QUAM

Gratia DEI prosperante

PRÆSIDE

JOH. GEORGIO DORSCHEO

SS. Th. D. & h. t. Rectore


in Illustri Argentoratensium Universitate

solenniter tuebitur

Mense Maio d.

REMIGIUS HERMANNUS ZINCK

Mœno-Francofurtanus.



ARGENTORATI:

Typis JOHANNIS-PHILIPPI MÜLBI,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI,

M. DC. XLV.

